



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769


VD18 90118456

Liber CXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXXIII.



JULIUS II. PONT. MAX.
MAXIMILIANUS I. IMPERATOR
OCCIDENT.

§. I.

Toletanus ac Hispalensis Archiepiscopi a Papa ad Synodum invitati.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

Sub idem tempus Neapolis ac Siciliæ
Episcopi plures obtendebant ratio-
nes, ob quas a Diœcesibus suis ab-
esse recusabant: Unde Julius Papa nil
intentatum reliquit, ut eos Romam ad-
ire permoveret; Hispaniæ quoque Epi-
scopos ad Lateranensem Synodum ac-
currere peroptabat, nil tamen ardentius
in

Marian. lib.
30. n. 43.

Sæcul. XVI in votis habebat, quam quod Hispalensis
A.C. 1512. ac Toletanus Archiepiscopi venirent, ut-
 pote Viri toto Regno illustrissimi, ac sci-
 entiarum laude longe clarissimi, quorum
 ultimus erat Cardinalis Ximenius, me-
 ritorum præstantia nominatissimus. Hi
 ergo si in Concilio præsentibus forent,
 Decretis condendis amplio rem auctori-
 tatem accessuram, haud immerito spera-
 bat Pontifex; quapropter Hispalensi Ar-
 chiepiscopo purpuræ quoque dignitatem
 obtulit, ut forte honoris stimulo concita-
 tus, itineris suscipiendi obstacula supera-
 ret. Ast ambo hi Præsules Romam ad-
 ire præpediebantur.

§. II.

*Initium Concilii Lateranensis Romæ
sub Julio II.*

Lab. coll.
Conc. gener.
t. 14. p. 4.
Guicc. l. 10.
Spon. ad an.
1512. n. 7.

Nec tamen horum absentia summum
 Pontificem absterrebat, quominus
 tertia Maji die Lunæ in festo Inventionis
 S. Crucis Anno Domini millesimo quin-
 gentesimo duodecimo Concilium Latera-
 nense ejusdem nominis quintum solem-
 ni ritu auspicaretur. Igitur Julius Pontifi-
 cis habitu ornatus ad Basilicam proces-
 sit, eum comitantibus quindecim Cardi-
 nalibus, octoginta ferme Archiepiscopis,
 cunctis natione Italis, sex Abbatibus ac
 Ordinum Generalibus. Hæc solemnia au-
 gustissi-

gustissima prorsus pompa celebrabantur, Sæcul. XVI.
 „ tamque luculenta religionis signa ede- A.C. 1512.
 „ bantur, inquit Guicciardinus, ut du-
 „ rissima quæque corda ad pietatem com-
 „ moveri potuissent, nisi quorundam
 „ animos sinistra de Pontifice opinio præ-
 „ occupasset. „ Post hæc Solemne sa-
 „ crum peragitur a Raphaele Ostiensi Epi-
 „ scopo, Cardinale S. Georgii, S. R. Ec-
 „ clesiæ Camerario, sacrique Collegii De-
 „ cano, ac demum Evangelio per Arrago-
 „ niæ Cardinalem decantato Farnesius Car-
 „ dinalis tit. S. Eustachii epistolam recita-
 „ vit, qua summus Pontifex Purpuratos,
 „ & cetera Synodi membra hortatus est,
 „ ut Deo magis, quam hominibus placere,
 „ bonumque Ecclesiæ promovere studerent.
 „ Ea perlecta Pontifex Sessionem primam
 „ ad decimam Maji, quæ erat Feria se-
 „ cunda, indixit, denique priusquam hæc
 „ solemnia absolverentur, Ægidius de Vi-
 „ terbio Fratrum Augustinianorum Gene-
 „ ralis Minister, magni tunc nominis Ora-
 „ tor prolixum sermonem declamabat.

§. III.

*Oratio pro solemnibus initio Concilii La-
 teranensis ab Augustinianorum
 Generali habita.*

Igitur, ut congregatorum benevolentiam captaret, velut vaticinans, inquit: *Marian. lib. 30. n. 45.*
 Anni

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

Sadolet in
Epist. ad
Card. Bem-
bo.

In collect.
Conc. P. Lab.
t. 14. p. 18.

Exstat in
dict. Conc.
Later. p. 7.
ex edit. Bini
t. 4. part. 2.

Anni fluxere aliquot, ex quo universæ Italiae ex Joannis Apocalypsi sumpta dicendi occasione, magnas Ecclesiæ calamitates instare sum vaticinatus: certam tamen ex iis malis emergendi aliquando spem promitti. Lætor Patres, atque ex animo gaudeo nostrum vaticinium inane non extitisse. Rebus enimvero in extremum discrimen adductis & in tetram malorum caliginem, quasi post obscuræ noctis tenebras melioris spei lumen ostenditur, serenum post sævam ventorum, & turbinum tempestatem. Postea Conciliorum necessitatem atque excellentiam explanat, Patresque hortatur, ut in unum congregati junctis viribus magis expedita, magisque efficacia inquirent media, quorum opè pretiosum fidei depositum servare, ac doctrinæ puritatem tueri possent. Demum verbis admodum gravibus nuperas calamitates describit. Quis non videat, prosequitur, non gemat hujus ævi ærumnas continuas & graves? Mores populi in omnem licentiam solutos, imperitiam, ambitionem, impudicitiam, ubi minus decebat grassari: siccis oculis quis aspiciat Italiae campos humano manentes sanguine magis, quam de cælo imbribus, undantes per urbes, & oppida gladios, innocentiam oppressam? Hæc aliaque multa mala vestram opem, Patres, expectant, ea sublata spe, unde remedium nostris miseriis petatur?

Nec

Nec Pontificis merita extollere oblitus ait: *Magnam Provinciam, Pater sancte! suscepisti, multa aggressus es, & perfecisti præclare, sublata latrocinia, aperta itinera, plures ad sacrum imperium urbes restitutæ, quam a quoquam alio ab omni memoria Pontificum. Magna sunt hæc atque præclara quis neget? Omnium tamen maximam a tua prudentia cuncti præstolamur opem. Principibus Christianis pacatis in communem hostem omnium opes, viresque converte. Id ut facilius contingat, positis armis absolis ea arripiamus, quæ nostræ militiæ sunt consentanea. His vitia & omne genus scelera multa quamvis & fæda, sunt impugnanda. Denique ad sanctos Apostolos Petrum, & Paulum orationem dirigens inquit: Vos imprimis Petre & Paule clara inter cælestes lumina, Ecclesiæ sanctæ, atque hujus urbis tutelares, clamores nostri & singultus ad misericordiam flectant. Ecclesiam vestram juvate, vestro, inquam, cruore consistam, cultamque vineam, divinam Christi, & vestro sanguine irriguam hæreditatem, & quam a Tyrannorum scævitia liberastis, ne eorum manibus extirpetur, & pereat, qui se filios ejus & familiares profitentur, benigne facite. Cunctos hos Patres, & sanctos Præsules confirmate cælesti ope, ut mentis oculis in Deum solum conjectis, ac nihil præterea captantes, quæ nostra vulne-*

Sæcul. XVI. *ra postulant, & tantæ miseriæ exigunt, ea
A.C. 1512. adhibere remedia ne metuant.*

§. IV.

Sessio I. Concilii Lateranensis.

*Labb. l. c. p.
27. & 50.*

Postmodum sequenti feria secunda, decima Maji prima Sessio celebratur, in qua Cardinalis S. Marci rem divinam peregit, ac Bernardus Spalatensis Archiepiscopus sermonem habuit. Aderant in hac Sessione quindecim Cardinales, Alexandrinus, atque Antiochenus Patriarchæ, decem Archiepiscopi, quinquaginta sex Episcopi, duo Abbates, ac quatuor Ordinum FF. Prædicatorum, Eremitarum S. Augustini, FF. Minorum, & Carmelitarum Præpositi Generales præter Regis Catholici, Venetæ ac Florentinæ Reipublicæ Legatos. Præerat autem ipse summus Pontifex, qui etiam peractis de more supplicationibus, litanis, aliisque precibus, lectoque per Arragoniæ Cardinalem Evangelio ex Capite decimo S. Joannis: *Ego sum Pastor bonus*, orationem habuit, Synodique Patres admonuit, ut solerter ordinarent ea omnia, quæ ad Ecclesiæ pacem & statum pertinent, ad schismatis extinctionem, dictæque Ecclesiæ reformationem, necnon contra Infideles per Christianos Principes expeditionem, pacemque inter eos componen-

ponendam. Facta hac adhortatione ipse Pontifex Hymnum: *Veni Creator Spiritus &c.* auspicatus est, quo absoluto Cardinalis Farnesius Bullam indictionis sacri Concilii, postea vero Apostolicas prorogatae Sessionis literas hoc anno quinto decimo Kalendas Maji seu decima septima Aprilis datas praelegit; idem quoque aliud Breve Apostolicum die vigesima nona Aprilis editum, quo Sessio denuo dilata est, recitavit, adjunxitque aliam Bullam, qua Pontifex statuit, ut sacra per omnes urbis Romanae Ecclesias quotidie ad gratiam divinam pro felici Concilii successu implorandam celebrarentur, concessis ad haec sacris Indulgentiis. Legebatur etiam Tolletani Concilii canon, quo modestia, silentium atque unio praecipitur. Denique declaratum: *Quod si aliqui ex confidentibus non fuerint in sedibus debitis collocati, ex hujusmodi Sessione nulli Personae praejudicium generetur.*

Saecul. XVI.
A.C. 1512.

§. V.

Ministri Concilii.

His peractis nominabantur Synodi Officiales, ac primo quidem Constantinus Cominatus Macedoniae Dux, & Achaiae Princeps, qui in Montferratensi ditione quasdam terras possidebat, Generalis Concilii Custos seligitur, eique in

Labbe coll.

Conc. t. 14.

p. 46.

Hist. Eccles. Tom. XXXII. C c hoc

Sæcul. XVI. hoc officio urbis Conservatores, & Ro-
 A.C.1512. mani Officiales adjunguntur: Equi-
 tes vero S. Joannis Jerofolymitani Breve
 Apostolicum accipiebant, quo eis signi-
 ficatum, illorum fidei ipsius summi Pon-
 tificis custodiam in Synodo delatam esse:

Hist. de Mal- Julius enim ad bella propensus, ad sua
the t. 2. p. castra hos milites pertrahere cupiebat:
 408. Hi tamen minus de Religionis suæ com-
 modis, quam Papæ consiliis in hac Sy-
 nodo actum iri persuasi, ejusmodi turbis
 utpote eorum instituto minus congruis
 sese implicare detractabant: hinc quo mi-
 nus Romam venirent, Guidonis de Blan-
 chefort Magistri sui absentiam obtende-
 bant: nihilominus tamen, ut quodam-
 modo Papæ jussis morem gererent, Fab-
 ricio Caretto, Generali Ordinis Procura-
 tori negotium dabant, ut ex Italia &

Spond. ann. Pontificis ditione quosdam Equites con-
 1512. n. 8. vocaret, quos suæ custodiæ causa Ju-
 lius circum se haberet. Præterea qua-
 tuor designantur Notarii Apostolici, qui
 sedulo, quæ scriberentur, inspicerent, &
 subscriptionibus suis munirent. Hi erant
 Nicolaus Lipomanus, Franciscus Spino-
 la, Alphonsus Lerma, & Paulus de Ce-
 fis, quibus suberant quatuor Secretarii, duo-
 que alii, quos ab epistolis habebant, nec-
 non quatuor suffragiorum Scrutatores
 præter quinque Advocatos, tres Procu-
 ratores, & quinque rituum Magistros.

Ex

Ex his omnes, qui præsentés erant, so-
lemne Sacramentum ad pedes Pontificis
præstiterunt, absentes vero in manibus
Cardinalis tit. S. Georgii, Romanæ Ec-
clesiæ Camerarii idem deferre jussi sunt.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. VI.

Sessio II. Concilii Lateranensis.

Sessio secunda die decima septima Maji,
feria secunda, qua indicta fuit, iti-
dem celebrabatur, cui æque ac in prima
summus Pontifex præsidebat. Re divina
per Cardinalem S. Martini in montibus
peracta, Thomas de Vio Cajetanus, Or-
dinis FF. Prædicatorum Generalis Magi-
ster sermonem habuit, in quo vehemen-
ter contra Pisanos Conciliares declama-
vit, quo finito quidam Papæ Secretarius
conscenso suggestu legit quoddam Henri-
ci VIII. Angliæ Regis mandatum, quod
foedus cum eodem summo Pontifice ini-
tum concernebat; eo autem prælecto,
Thomas Phædra Papæ Bibliothecarius,
ac Synodi Secretarius legit aliud manda-
tum Ferdinandi Arragoniæ Regis, quo
tam suo, quam suæ Filiæ, Joannæ Ca-
stellæ Reginæ nomine Hieronymum de
Vich ordinarium suum in Romana curia
Oratorem, nunc quoque specialem Procuro-
ratorem declaravit in omnibus, quæ Sy-
nodi negotia respicerent. Datæ sunt hæ
literæ

Labh. 1 r. p
56. & 68. 60.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

literæ Burgis die secunda Decembris anno Domini millesimo quingentesimo undecimo. His ita recitatis, atque Evangelio per Cardinalem Arragonium, & Hymno de Spiritu sancto per summum Pontificem decantato Bernardus Zane Spalatensis Archiepiscopus, Papæ jussu alta voce Bullam de Synodi approbatione perlegit, atque ab omnibus tum præsentibus petiit, an ea, quæ in hac constitutione continerentur, illis placerent? Cunctis ergo respondentibus: *Placent*, quidam Synodi Procurator publicum illius instrumentum confici postulabat. Tertia denique Sessio ad tertiam Decembris diem prorogata est, tum ob æstivos calores, tum ut iis, qui nondum advenerant, tempus daretur commodum, præcipue vero Gurcensi Episcopo, ejus adventus indies expectabatur.

§. VII.

Ravenna a Fœderatis recuperata,

Hoc temporis intervallo Fœderatorum res tam ampla cæperunt incrementa, ut omnis parta tuendi spes Gallis penitus præcisa esset. Vix Palicius copias, quibus Sanseverinas Cardinalis imperabat, ex Romandiola retraxerat, cum jamjam Antonius Columna exercitum suum in aciem educeret, cujus adventum Ravennates

*Rubens hist.
Raven.*

nates edocti, illum propius ad urbem su- Sæcul. XVI.
 am accedere rogant, atque ingressum A.C. 1512.
 concedunt, junctisque cum eo viribus
 arcem, in quam Galli confugerant, cin- Raynald. hoc
 gunt, brevique eos ad deditionem com- ann. n. 55.
 pellunt, concessa nihilominus præfidia-
 rio militi vitæ venia, ac salva abeundi
 facultate. Columna data fide deditionis
 legibus subscripsit, nec tamen promissis
 stetit, sed Turcarum more desæviit; gre- *Vide supra*
 garios enim milites eminus plumbeis glan- *§. CIP.*
 dibus trajici, & alios jugulari præcepit,
 Duces vero reliquit vindictæ populi ob nu-
 peram urbis suæ devastationem adhuc-
 dum in Gallos concitati: Ravennatenes
 igitur hos omnes vivos collotenus defos-
 sos, cunctisque civium insuitibus exposi-
 tos fame necarunt. Hæc crudelitas me-
 rito Florentinis terrorem incusserat, ne
 Gallis devictis, cum & isti assiduo studio
 illis favissent, parem cum Gallis hisce for-
 tem subire cogentur: quocirca foedere
 cum Francia innovato, copiarum subsi-
 dia Gallis suppeditarunt, quibus illorum
 absentia, quos supremus in Normannia
 ærarii Præfectus dimiserat, suppleri pos-
 set.

§. VIII.

Octodecim Helvetiorum millia in Italia.

Palicius his suppetiis auctus, in exerci-
 tu suo mille ducentos lancearios, pedi-

Sæcul. XVI. tum Gallorum quinque, Germanorum ve-
A.C. 1512. ro quatuor millia recensebat, haud com-
 putatis illis copiis, quas prope Parmam
 reliquerat, ut vel Mediolanum tuerentur,
 si hostis ex Apenini alpihus erumperet,
 vel Bononiam sese reciperent, si Foede-
 rati ad hanc ditionem arma conversuri es-
 sent: Potissimum enim Palicius Helve-
 tiorum adventum verebatur, quorum
Buonacours. octodecim millia exeunte mense Majo e
Guic. l. 10. patria sua discesserunt; quamvis fa-
Paris de cta prima recensione non nisi singuli uni-
Grass. t. 3. cum florenum Rhenanum accepissent.
p. 854. Hos Cardinalis Sedunensis haud procul
 a Curia collegerat, obtento a Grisonibus
 libere transeundi copia, qui quamvis cum
 Gallis foedere juncti eorum stipendia mere-
 rentur, veterem tamen cum Helvetiorum
 Pagis amicitiam fovebant. Tandem ul-
 tima Maji die ad Tridentinam ditionem
 Cæsare transitum permittente, pervene-
 runt, ac sese in Veronenſi tractu Veneto-
 rum copiis adjunxere, quo unico Pali-
 cius haud parum turbabatur, nescius, in
 quam partem hæc procella sese exone-
 ratura esset. Eo tempore is penes Ollrum
 flumen castra metabatur, præpediturus,
 ne Helvetii per Brixianum, ac Bergo-
 mensem agros in Mediolani Ducatum pe-
 netrarent; ast Helvetios aliam viam ar-
 ripuisse edoctus, Valesii ad Mincium ten-
 toria erexit, indeque ad supremum Nor-
 mani

manni ærarii Præfectum literas dedit, significans, ut quantocius in Mediolanensi ditione milites conscriberet, cum ejus culpa exercitus adeo viribus ac numero imminutus esset, ut sese hostibus opponendo omnino impar foret, nisi novis militum supplementis augetur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. IX.

Helvetii junctis Venetis Mediolanum ingressi.

Interea Foederati, postquam copias suas Venetis junxerant, de itineris sui ratione admodum dubii hærebant; Cardinalis enim Sedunensis ac Provisor Grittus Mediolanum recta petendum censebant: Bononiensis vero Episcopus, qui Julii Papæ negotia procurabat, ante omnia Ferrariæ obsidionem urgebat. Ast ubi quatuor Albanenses tabellarium, qui Palicii epistolam ad Normanni ærarii Præfectum deferebat, interciperent, eamque ad Grittum mitterent, convocato Senatu, atque epistola ex Gritti jussu ibidem perlecta, communi suffragio decretum est, quod Pontificis, Regisque Arragoniæ exercitus in Romandiola relinqueretur, ceteræ vero copię Mediolanum invaderent, eoquod Palicius cum decem aut duodecim suorum millibus in aperto campo adversus Foederatorum exerci-

Secul. XVI tum plusquam triginta armatorum milli-
A.C. 1512 bus validum decertare minime ausurus
 esset. Ergo Veneti in Veronensi tractu
 Villæ - Francæ castra ponunt, Mincium
 trajecturi, idque nullo ferme negotio per-
 ficiunt, Cæsare tum Veronam occupan-
 te. Equidem Gallici agminis Dux su-
 perato ocius amne tentoria sua Casti-
 lione Stiverorum fixit, hostibus Valegium
 relinquens: ast hi Gallis excedentibus,
 mox urbem capiunt, ac Mincium traji-
 cientes, in Mantuanam ditionem erum-
 punt, cum Dux Mantuanus transitum
 intercludendo prorsus impar esset: quo-
 circa Palicius per Ollrum fluvium ad Pon-
 tevicum sese recipere compellebatur.

§. X.

*Imperator suas copias a Gallorum ex-
ercitu revocat.*

*Raynald. ad
ann. 1512.
n. 57.*

Recensebat tum temporis Palicius præ-
 ter copias, quas Bononia accersive-
 rat, sex peditum millia, quæ Mediolani
 a Normanni ærarii Præfecto conscripta
 suis brevi jungenda sperabat; his copiis
 auctus Fœderatis sese opponere valuisset
 Palicius, eo vel maxime, quod Helvetii
 dilata æris militaris solutione, sensim la-
 bores pertæsi ad sua reverterentur. Ast
 obstitit Palicii conatibus Cæsaris manda-
 tum

Sæcul. XVII
A. C. 1512.

tum, quo Germani, qui Gallorum stipendia merebantur, protinus signa deserere, Patriamque repetere jubebantur, indictis pœnis, iisque severissimis. Erant Germanorum quatuor omnino millia ex hæreditariis ditionibus collecta, ac Maximiliani utpote Cæsaris, necnon Austriae Archiducis imperio subjecta. Incassum Palicius omnes artes exhauserat, ut eos detineret; obtulit illis aurum, atque amplissima addidit promissa; ast cunctis hisce minime expugnabatur Germanorum fidelitas, ferme enim omnes a signis discedebant: Unde cum totus Gallorum exercitus ad quinque vel sex millium manipulum redactus esset, Palicius sese foederatorum copiis objicere haud ausus hostium arbitrio campestem Mediolanensis tractus planitiem relinquere statuit, ex cuius uberi ac pingui solo Foederatis non modo annonæ abundantia, sed etiam Helvetiis stipendia numerandi facultas accrescebat, Palicio autem inde accessit expedita aut Cremonam versus fugiendi, aut urbes ad Abduam sitas ingrediendi opportunitas, si forte hostes nequidem tentata Mediolani obsidione, recta in Ducatum sese effusuri essent.

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. XI.

Exercitus Fœderati progressus.

Guic. l. 10.
Marian. l. 30. n. 45.
Surita l. 9. cap. 59.
Rubeus hist. Raven. l. 8.

Præplacuit etiam Fœderatis Ducatum mox invadendi consilium: unde ad Pontem - vicum usque processerunt, Gallorum exercitu nequidem hostis sui conspectum sustinere auso; una enim omnes motis castris, præcipiti fuga, totoque pedum studio Picelonem profugi secus Abduam substiterunt, spe freti, copias ex urbe Bononiensi accitas, peditesque Mediolani conscriptos brevi adfuturos. Verum speratæ peditatus suppetiæ Pali- cium expectatione sua frustrabant, cum- que, ne exercitus sui vires minueret, non- nisi Cremonensem arcem, urbe præsidis destituta, firmasset, cives ultro portas suas fœderatis aperiebant, quadraginta Ducatorum millium mulcta deprædatio- nis calamitatem redimentes. Post hæc Cremona Maximiliano Sfortiæ, qui Lu- dovici non ita pridem in Lochiæ castro Duodena captivitate contabescentis Fi- lius erat, fidelitatis sacramentum exsol- vit, læsis Venetorum juribus, qui ex societatis fœdere hanc urbem sibi reddi postulabant; his tamen Helvetii, & Pon- tificii exercitus Duces obfistebant, quibus etiam Respublica cedere cogebatur. In- terea cum Bergomenses paucis ex post

post diebus Cremonensium exemplum imitarentur, Palicius etiam Piceloni castris excedere, ac Abduam denuo transire compulsus est, Papiam petiturus: ejus tamen copias Fœderatorum exercitus sine intermissione lacessebat, illisque vix Mediolanensem ditionem ingressis, singulorum studia contra Gallos exardescabant, omnesque urbes, quas Victores pertransibant, summis lætitiæ signis eos exceperunt; nulla tamen urbs Cæsari fidei sacramentum persolvebat.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

Pizzigitone

§. XII.

Galli Mediolano amisso Papiæ ad Palicium veniunt.

Trivulcius Marecallus Mediolani securitati suæ haud ultra consultum iri prospiciens, arce annona bellicue apparatu prius munita, Papiam ad Palicium contendit. Hunc sequebantur Itali & Galli, comitantibus eos Cardinalibus, & Pisani Concilii Præsulibus, qui secum quoque trahebant in Ravennatensi prælio captos, ex his tamen Cardinalis Medicæus libertatem suam prospera fuga redemit: Cum enim maturo satis tempore Carim advenisset, priusquam quieti indulgeret, custodes flumen trajicere eum jubebant, ille autem, cum fugam meditaretur, ac ipsa loci opportunitas id suaderet,

deret,

Sæcul. XVI. deret, morbum simulabat, unde eidem
 A.C. 1512. quietem concedere oportebat: Interea
 vero suorum Amicorum quidam nomine
Paul. Jov. Raynaldus Zaldus eum invisit, & ambo
Onuphr. Vi- remotis arbitris diutius collocuti, satelli-
Etrel. in tum incuriam in rem suam verterunt,
Leon. X. præconcepta fugæ consilia executuri.
Paris de Ergo Zaldus viginti quique, aut trigin-
Grassis l. 10. ta rusticos male armatos convocat,
Et 80. exiguamque hanc manum custodi-
Raynald. hoc bus, qui Cardinalem trajicere compelle-
Ann. n. 59. bant, in ipso naviculæ ingressu objicit,
 qua conspecta custodes haud parum per-
 territi, nec resistere ausi Medicæum Car-
 dinalem dimittunt, qui mox recuperata
 libertate, summo, quo potuit, silentio ad
 Castrum Genovese contendit.

§. XIII.

Galli Pedemontium profugi.

Raynald. l. c. Equidem Palicius Papiam tueri nite-
n. 64. batur; verum Fœderatis appropin-
 quantibus Gallici exercitus Duces, prius-
 quam hostis urbem invaderet, receden-
 dum censebant: quapropter ponte Tici-
 no imposito, præsidii partem eduxit, al-
 tera adhucdum in urbe relicta, cum Hel-
 vetii eam ingrederentur; unde cruentum
 utrinque prælium exoritur, Palicio, &
 Ludovico Arsiso hostium impetus invicta
 virtute sustinentibus: Eques quoque
 Bayar-

Bayardus cum triginta cataphractorum manu tamdiu continuata pugna Helvetios distinuit, donec reliqua exercitus pars urbis porta excessisset, cum vero hic Bellidux nuntium accepisset, quod Helvetii navibus Ticinum trajicerent, eo fine, ut ceteros quoque persequerentur, ipse omni cunctatione remota abiens, cum suis gravioris armaturæ Equitibus ad pontem accurrit, eumque nonnullis belli tormentis firmavit, ut hostem incautius insequentem ferali globorum emissione exciperet. Ast ex invidia fortunæ factum, ut quædam ultimi agminis pars nimirum quingenti lancearii, cum prima navalis pontis cymba cujusdam gravioris tormenti pondere pressa aquis subsideret, Helvetiorum arbitrio relinquerentur, qua capti, qua jugulati, aut undis hausti, ipse vero Bayardus in hac expeditione humeros inter & collum tormenti minoris globo vix non occisus occubuit. Demum ponte penitus destructo, atque Helvetiis Gallos haud ultra insequentibus, Palicius cum exercitus sui reliquiis sine militis dispendio Pedemontium pervenit, seque Trivultio conjunxit: Tantam vero stragem passus erat, ut Astam quoque, avitum illud Aureliensis familiæ patrimonium, ab ipso Ludovico XII. regno nondum adepti possessum, hostibus cedere compelleretur.

§. XIV.

Sæc. XVI.
A.C. 1512.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. XIV.

Julius II. Bononiam reversus.

Guicc. l. 10.
sub fin.
Paris de
Grassis apud
Raynald. l. c.
n. 57.

Igitur Julius II. Papa, qui paucis ante mensibus fatali calamitatum concursu premebatur, mira rerum vicissitudine jam votorum suorum plene compos fiebat, cum Ravenna, Bononia, totaque Romandiola recuperata, Gallique ex Italia pulsi essent: Hucusque enim Bentivolii Bononiam occupabant, verum illi, si forte a Papa invaderentur, omnem illius indignationem veriti, fugam capiunt, remis- sis ad Gallos trecentis lanceariis, quibus præsidii pars constabat. Verum in horum quoque fugientium tergis hærebant Foederati, eosque una omnes trucidabant, ne unico quidem sagittario fuga vitam redimente. His ita expulsis, Bononiensis Magistratus ad Papæ pedes pro- volutus, pro civibus delicti veniam exorabat, qua tamen demissione ut ut insolita Pontifex minime flectebatur, Bononiensibus acerbis habitis (*).

§. XV.

(*) Ita Continuator: Paris autem de Grassis Auctor cœvus & ipse præsens refert: Bononiam ingressi sunt die 13. Junii, excepti a populo festiviter, & se excusantes, quod si quid resistentiæ per ipsum populum factum fuerit

§. XV.

Sæc. XVI.
A.C. 1512.

*Mantuae Marchio pacis conciliator
Papam inter & Ferrariæ
Ducem.*

Ceterum Julio ad explenda ambitio-
sa (*) sua consilia adhuc quatuor
deesse videbantur. Præprimis quidem
Ferrariæ Ducem sua ditione spoliare tum
cupiebat. II. Mediolanum Sfortiæ Fa-
milie

*Buonacors.
in diariis.
Paris. Ide
Grassis apud
Raynald. hoc
ann. n. 71.*

fuerit priori tempore, a Gallis & tyrannis ac
factiosis factum est: utcunque tamen sit, ve-
niam & misericordiam precantur: Pontifex
autem compos voti factus non tam quod Bo-
noniam recuperaverit, & quod tyrannos expu-
lerit, quam quod Gallos ex Longobardia ex-
pulerit, quotidie magis & magis gratias Deo
publice & privatim reddere non desit, pre-
cando, ut illos etiam ex Italia expellat, quod ad
votum videmus succedere . . . Deo enim rem
propram respiciente dedit, datque pœnas suæ
iniquitatis Gallus ex Italia turpiter eiectus.

(*) Ambitiosus appellari meretur, qui alie-
na appetit, non qui sua etiam armis recupera-
re studet, rebelles compescit, criminosos ca-
stigmat, atque oppressos subleuat. Cetera de
suo Continuator pro more adjecit, nullo ex
allegatis auctoribus de ejusmodi Papæ consiliis
vel verbulum indicantibus.

Sæcul. XVI. milia restitui petebat. III. Medicæos
A. C. 1512. in Florentiæ possessionem repositos, ac
 denique Germanos atque Hispanos ex
 Italia pulsos desiderabat. Equidem Fer-
 rariæ Ducem perdere firmiter decreve-
 rat, cum vero Dux Fœderatorum bene-
 volentiam sibi demereretur, nec illi eum
 indignationis Pontificiæ victimam fieri
 sustinuisent, eundem Romam scite ad-
 vocare, animo constituit. Hanc in rem
 Mantuæ Marchioni, qui pro Duce depre-
 cabatur, literas dedit, significans, quod
 ipse quidem, quatenus Julianus Ruve-
 reus foret, lubenti animo eidem condo-
 nare vellet: quatenus autem Pontifex
 esset, illum in gratiam recipere non pos-
 set, nisi observatis de more solemnibus;
 quocirca Fœderati ejus nomine veniam
 deprecarentur, reus crimen suum in ple-
 no Patrum Senatu fateretur, ac sub con-
 ditionibus ibi præscribendis absolutio-
 nem reciperet. Marchio de consueta
 duntaxat agi formula ratus, ut Pontifici
 satisfaceret, operam suam Ferdinandi Le-
 gato junxit, atque ambo Ferrariæ Du-
 cem in Pontificis gratiam reducere co-
 nabantur: Cum igitur Julius tot tantos-
 que Viros pro Duce deprecatores adesse
 cognosceret, animi sui lætitiâ haud ul-
 tra tenens, spem fecit, se Duci cumula-
 te satisfacturum, si ipse Romam acce-
 dens,

dens, piis Patronorum suorum studiis Sæcul. XVI.
 haud deesset. A. C. 1512.

§. XVI.

*Dux Romam venire cunctatus, a
 Columnensibus tamen ad id
 persuasus.*

Cum vero hi securitatis literas Duci da-
 ri postularent, Julius eas consueto mo- Raynald. l.c.
 re expediri jussit, quæ ad Ferrariæ Du-
 cem per cursorem transmissæ fuerunt.
 Renuit primo Dux illas acceptare, in-
 quiens, „nolo me committere Viro, cujus
 „subdolus inconstansque animus sat mi-
 „hi cognitus est, quive etsi mihi recon-
 „ciliatus, hostis tamen meus esse non
 „desinet. „ Cum igitur Ducem ejus a-
 mici haud flectere possent, solertiam Fa-
 bricii Columnæ implorabant, quem Dux
 in Ravennatensi prælio ceperat, sibi que
 multis titulis obstrictum habebat. E-
 quidem Fabricius naturæ suæ genio ad
 præstanda Duci obsequia pronus erat, veri-
 tus tamen, ne forte illi nil prodesset, sibi ve-
 ro noceret, priusquam operam ei suam
 impenderet, Hispaniæ Legatum adiit,
 sciscitaturus, utrum se ceterosque Colu-
 mnenses datæ securitatis Sponsores Pon-
 tificex admitteret; Julio autem ne id qui-
 dem abnuente Fabricius Ducem, ut ob-
 temperaret, vehementius urgebat.

Hist. Eccles. Tom. XXXII. D d Ergo

Sæc. XVI.
A.C. 1512.

Ergo Ferrariæ Dux Julii aulam accedit, ubi a Pontifice ad pedum oscula admittitur, necnon in publico Purpuratorum confessu a censuris, quibus irretitus erat, liberatur: Cum vero de summa rerum agi cæptum esset, Julius a Duce Ferrariam obfirmatiore animo repetiit, hanc urbem denuo Ecclesiæ Patrimonio adjecturus, Duci vero duntaxat (*) in compensationem Atestinum comitatum promisit, idque beneficii loco haberi voluit, ne penitus (ut inquebat) Ducem, pro cuius venia tot Principes deprecarentur, spoliare videretur. Nec id prætereundum, hunc Comitatum eo tempore a Papa possessum non fuisse, utpote non ita pridem a Fœderatis Principibus ereptum Gallis, a quibus, si Dux eundem comitatum acceptasset, brevi expulsus fuisset. Aliunde Comitatus redituum ubertate adeo non æquabat Ferrariæ Ducatum, ut Ducem ad tam arctam conditionem constringere, perinde esset, ac eundem exspoliare.

§. XVII.

(*) Paris & Raynaldus testantur, Papam simul pollicitum esse, se eidem viginti millium Ducatorum censum quotannis daturum.

§. XVII.

Sæc. XVI.
A.C. 1512.

*Papa Ducem Romæ custodiæ dare
meditatus.*

Hæ propositiones Columnensibus ac Hispaniæ Legato suspicionem ingerant, se delusos, Ferrariæ autem Ducis securitati haud satis cautum esse; hanc eorum opinionem auxit fama, qua, Duce Romam abeunte, mox Reggium a Pontificis exercitu occupatum compererant; unde inferebant, per datas impunitatis promissæ literas ad capiendum Ducem laqueos fuisse comparatos.

Raynald. ad
ann. 1512.
n. 72.

§. XVIII.

*Ferrariæ Dux cum Columnensibus
Roma excedens, Ferrariam
venit.*

Hac super re Arragoniæ Legatus æque ac Fabricius Columna colloquii gratiam a Papa petunt, qua obtenta eisdem hisce gravibus verbis facti indignitatem exponunt; „Æquitati, inquit, luculenter adversatur, quod Sanctitas vestra ad aulam suam accersiverit Principem, interea autem eo absente illius subditos abalienet, ejusque urbes invadat. „ His Papa respondit: „ E- quidem fidei publicæ legibus prohibeor,

D d 2

„ beor,

Sæcul. XVI., beor, quo minus armis urbes occupa-
 A.C. 1512. „ re possim: minime vero vetor, quod
 „ cives ultronea deditioe ad me con-
 „ fugientes in fidem meam recipiam:
 „ Reggenses autem incolæ copias meas
 „ ultro advocarunt; „ Audito hoc Pon-
 tificis responso Legatus ac Columna in-
 vicem colloquentes datæ fidei summam
 discutere compellebantur: Pontifex ve-
 ro, qui nisi ex composito vellet, nun-
 quam veritatem dolo celare noverat, in-
 genue profitebatur, quod datæ securita-
 tis literæ Ducem adversus ea, quæ ju-
 stitiæ leges in eum exposcerent, minime
 tuerentur, nec ipsi integrum esset judi-
 cum manibus, si via legitima jus perfe-
 qui vellent, Ducem eripere. His verbis
 haud obscure Papa indicabat, velle se
 Ducem, clam suscitata in eum vexatione,
 custodiæ dare; non enim media, quibus
 læsum honorem reparare valeret, anxia
 nimis cura Pontifex discutiebat, prout
 jam satis superque vidimus: Igitur Fer-
 rariæ Dux eadem adhuc die amicorum
 suorum ministerio adjutus Roma exces-
 sit, mutatisque vestibus per devia in Prin-
 cipatus sui limites reversus est.

§. XIX.

Pontificis ultio in Florentinos.

Inter hæc Pontifex Ducis fugam edo-
 ctus,

ctus, acriter exardescibat, cumque in Sæcul. XVI.
 Ferrariæ Metropolim, utpote quæ valide A.C. 1512
 munita Papæ minas haud pertimesce-
 bat, ultionem suam exercere non posset, Paris de
 indignationis suæ arma in Florentinos Grass. t. 3.
 convertit. Nec deerat occasio, quip- p. 870.
 pe Gallis Mediolano ejectis Sedunensis Raynald.
 Cardinalis & Balionius quadringentis hoc ann. 76a
 Lanceariis ad tuendum hunc Ducatum
 missis, soluta quadam pecuniarum sum-
 ma, ad sua revertendi copiam dabant; (*)
 Julius vero hanc militum dimissionem,
 utpote se incio factam, nullam esse con-
 tendit, præcepitque Balionio, ut Floren-
 tinorum equitatu non parceret. Hic Ve-
 netorum Bellidux Papæ jussis nimia
 fidelitate obtemperans, Equites, ut secu-
 ritatis datæ literas redderent, suis manda-
 tis

(*) Consulat benevolus Lector Ray-
 naldum loc. cit. Paridem de Grassis, Scripto-
 rem non modo cæcæ, sed totius quoque Fer-
 rariensis reconciliationis testem ocularem, ex
 quo tanquam ex puriore fonte facti hujus se-
 riem haurire, quæve a Continuatore assuta vel
 adulterata fuerint, perspicere poterit; nobis
 enim non vacat, ea integre transcribere; ob-
 servasse sufficiat, acerbum Continuatoris ani-
 mum in Julium Papam nimis aperte mani-
 festari.

Sæcul. XVI. A.C. 1512. tis injunxit, postea eos armis exuit, equos, farcinas, omnesque, quas poterat, pecunias eis abstulit, imo nequidem eorum vestes intactas relinquens illas cum obtritis militum suorum centonibus commutavit; Cardinalis quoque Sedunensis Nicolaum Caponium, cui cura Florentino exercitui stipendia numerandi incumberebat, captivum abduxit, ab eoque lytri nomine sex aureorum millia accepit.

§. XX.

Maximilianus Sfortia in Mediolani Ducatum repositus.

Raynal. n. 91 *Basel. in'ap-* *pend. ad* *chro. Nauch.* Hæc dum gerebantur, congressus Mantuæ celebrandus agebatur, cui aderat quoque Gurcensis Episcopus, amplissima rei gerendæ potestate a Cæsare instructus. Ibi Pontificii Procuratores, atque Helvetii congregatos impense rogabant, ut Sfortiæ Mediolani Ducatus redderetur; horum precibus devicti, Gurcensis Episcopus, ac Neapolis Prorex annuere compellebantur, quamvis hujus status restitutioni prius obluſtarentur. Ergo inter eos conventum, ut nulla mora Episcopus Papam adiret, cum eo de investituræ conditionibus, quas Imperator præscribere teneretur, acturus.

§. XXI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. XXI.

*Papa Medicæis Florentiæ imperium
restitui sollicitus.*

Agebatur in eodem congressu de Medi-
cæis in Florentiæ imperium repo-
nendis; Gurcensis tamen Episcopus, cui
hoc consilium minus probabatur, nego-
tii hujus decisioni obstitit: nihilominus
Congregati paulo post voti sui compotes
facti sunt, Julio Pontifice operam suam
impendente; hic enim haud ignarus,
quod Julianus Medicæus Mantuæ age-
ret, ad eum ablegabat Bernardum Bi-
bienam, quem ei non modo tanquam hu-
jus causæ socium adjunxit, sed etiam
velut Sedis Apostolicæ Ministrum rem-
urgere jussit.

*Marian. l. 30
n. 57.*

*Raynald. hoc
ann. n. 61.*

§. XXII.

*Florentinis repugnantibus Papa bellum
nunciat.*

Bibiena gravissimis rationum momentis
Medicæorum causam tuebatur, Flo-
rentinis tamen obfirmato animo reluctan-
tibus Papa bellum nunciare compelli-
tur: Unde jam secunda vice Medicæum
Cardinalem Pontificii exercitus Lega-
tum renunciat, Urbinatis vero Duci, ut in
Mantuano congressu decretum est, supre-

D d 4 mum

Sæc XVI.
A.C. 1512.

mum copiarum imperium defertur: Cardonnæ quoque Neapolis Proregi datum est negotium, ut copias suas in Florentinos duceret, quamvis non nisi duobus majoribus belli tormentis instructus esset. Ast hinc Cardonna, illinc Urbinatis Dux rem insolita lentitudine agrediebantur, imo Cardonna etiam missis ad Florentinos Oratoribus adeo proficuas eisdem obtulit condiciones, ut illas ab eis rejiciendas vix credere posset; nam præprimis postulabat, ut Soderino alius Dictator subrogaretur, Medicæi vero velut privati cives reciperentur, nec publica imperii negotia eis committerentur, nisi quædam ex plurimorum sententia illis credere luberet.

§. XXIII.

Pratum a Cardonna occupatum.

Marian. lib.
30. §. 59.

Hac Florentinorum repugnantia concitatus Cardonna, Pratum obsidere decernit; ast urbem ea, qua munitissima esset, parte aggressus, duobus suis tormentis post viginti quatuor horarum explosionem nequidem muro labem intulit. Cumque Hispanis commeatus deficeret, ad aliam expeditionem educi postulabant, quibus Cardonna Pratum digito monstrans respondit: ecce urbem, in qua famem, si quæ vos premit, abunde propulsabit.

Saecul. XVI.
A. C. 1512.

fabitis. Hispani his verbis erecti, tormentis ad aliam urbis partem deductis, murum ad sex omnino perdicarum longitudinem aperuerunt, admotisque scalis urbem superarunt, quamvis centum Lanceariorum, ac bis mille peditum praesidio, Ductore Lucca Savellyo munita fuisset. Tum vero Hispanis irruentibus similis ruinæ strages erat; tantam quoque annonæ abundantiam Hispani reperiebant, ut in solidum mensem & amplius illis sufficeret.

§. XXIV.

Fœdus cum Florentinis a Cardonna initum.

Parta urbe, cum Florentiæ seditio suscitaretur, Soderinus fuga sibi consulere compellitur, a suis proditionem veritus. Eo autem recedente, factionis suæ sociis animo fractis, Florentini primas eo curas intendebant, ut libertatem suam redimerent, unde ad Cardonnam suos ablegant, qui eis injunxit, ut octoginta aureorum millia pro Hispanorum exercitu, ac quadraginta millia pro Cæsare penderent, sibi met vero ipsi viginti millia numerari petiit; præterea eisdem præcepit, ut Gallorum fœderi nuncium mitterent, Fœderatorum vero societati nomen darent. Acceptatis conditionibus

D d 5 Sode-

Sæcul. XVI.
A.C.1512.

Soderino Florentiam redire datum est, ea tamen lege, ne Dictatoris munus obiret, nec speciatim de Medicæis mentionem ingereret; hos enim cum ceteris patria olim proscriptis pari fato habebant, decernentes, quod promiscue omnibus Florentiam reverti integrum esset, privatorum tamen ordini accensendi venirent.

§. XXV.

Medicæi Cardonnam, & Hispaniæ Ministros sibi devinciunt.

His pactis integra fide adimpletis, mox Hispani e Pratensi urbe excessissent, si Florentini centum quadraginta aureorum millia illis imposita quantocius numerassent; cum vero hi nonnisi Gurcensi Episcopo pro Cæsare quadraginta, pro Cardonna autem viginti nummum millia penderent, atque Hispani non nisi mediam promissæ pecuniæ partem ab eis acciperent, Cardonna copias suas Prato revocare recusabat: Inde vero Medicæus Cardinalis, & Julianus ejus frater, qui exigua pompa, ac nemini suspecta Florentiam intrabant, Hispanos sibi demerendi spacium nanciscebantur. Præterea Joannes Baptista Rudolphi, cum Soderinus munus abdicaret, Dictator eligebatur, adjecta lege, ut singulis sex Mensibus Magistratus permutaretur. Hanc tempo-

tempo-

temporis opportunitatem Medicæi exco- Sæcul. XV.
 quendis suis consiliis impendebant, ac A.C. 1512.
 Pratum, quicquid pecuniarum atque u-
 nicum haberent, deferentes Amicis suis
 mutuo dabant, suaque benevolentia An-
 dream Caraffam supremi Hispanorum
 Ducis Legatum ad suas partes trahebant,
 demum clam cum Cardonna collatis con-
 siliis eundem quoque in suam sententiam
 inclinabant. Ceteri quoque Duces ad
 Medicæorum studia pellecti, militibus
 suis Florentini Prætorii spoliū pollice-
 bantur.

§. XXVI.

*Medicæi Florentiam regressi urbem
 occupant.*

Cum hæc die trigesima prima Augusti
 hoc anno ita disponerentur, clam a-
 lienis vestibus induti Florentiam immit-
 tebantur tot Hispani, quot ad Medicæo-
 rum factionem augendam, adversamque
 viribus infirmam necessarij censeban-
 tur. Post hæc Cardinalis, & Julianus
 ejus frater Prato Florentiam venerunt,
 ac prima Septembris die vespere versus
 horam quartam urbem ingressi sunt, tan-
 to suorum numero stipati, ut quæ agi-
 tarent consilia, haud obscure proderent.
 Altera die Julianus Senatum accessit,
 introduci postulans: Interea vero Hispani,

Sæcul. XVI. ni, qui pridie urbem intraverant, adhibi-
 A. C. 1512. ta vi Prætorii fores effringunt, ac nemi-
 ne resistere auso, Consiliarii de sua vita
 solliciti confessum solverunt. Mox vero
 Prætorio in spoliis dato seditiosi plebem
 convocant, cunctos ferro perimere mini-
 tantur, nisi exacte, quæ ipsis propone-
 rentur, effectui daturi essent, demum
 eos compellunt, ut abjecta omni, qua
 valerent, auctoritate Medicæis illam ce-
 derent, eosque non jam velut Concives
 suos, sed tanquam suos Principes vene-
 rarentur. Igitur pristina regiminis for-
 ma, quam Carolus VIII. Galliarum Rex
 immutaverat, denuo revocata est, & Flo-
 rentini tanta alacritate sese huic jugo
 subiciebant, ut secunda Septembris die
 ad vesperam tota urbs plena tranquilla-
 tis aura frueretur. Nec pacem turba-
 bat epistola, quam Soderinus Regi Ca-
 tholico scripserat, supplicans, ne Florenti-
 norum Rempublicam Medicæorum am-
 bitioni exponeret; quamvis enim Car-
 donna a Rege mandatum accepisset,
 ne Medicæis faveret, nihilominus his
 jussis nonnisi tertia Septembris die ad
 Cardonnam delatis, Medicæorum resti-
 tutioni jam ultima manus erat apposi-
 ta, nilque amplius Prorex Neapolitanus
 reliquum habebat, quam ut copias suas
 quantocius Florentia in Neapolis re-
 gnum

Marian. l. 30
 n. 71.

gnum educeret, Brixiam (*) obsessurus, Sæcul. XVI
A. C. 1512
quam urbem Albinus Cardonnæ reddi-
dit, licet Veneti illam ex foederis legibus
repetere potuissent. Itidem Galli Pesca-
riam Cæsari restituebant, spretis Vene-
torum pollicitationibus, qui, ut præsidia-
rii ipsis faverent, duorum annorum sti-
pendium eisdem offerebant.

§. XXVII.

*Julius Gallos Genuâ pellere
conatur.*

Ad votorum summam Julio nil ultra
deesse videbatur, quam ut Germani, Hist. Fœd.
Camer. t. 2.
atque Hispani ex Italia pellerentur; ve-
rum tantæ expeditionis executio haud p. 201. l. 3.
Marian. lib.
30. n. 60.
exigui laboris res erat. Inopina quidem
felicitas Pontificis animum crebra vi-
toriarum imagine, nec non firma urbes Apud Victo-
vel in addit.
ad Ciacon.
Guicci. l. 10.
August.
Justin. l. 6.
Folietal. 12.
avitis suis Principibus denuo uniendi
spe, consiliisque replebat, unde non raro
ex ore ejus hoc verbum exiit, brevi
omnes infideles, qui in Italia sedem fi-
xissent, pari cum Gallis fato expellendos
fore: Prius tamen Gallos penitus inde
deturbare peroptabat, cum vero adhuc
dum

(*) Quanto itineris intervallo Brixia a
Neapolis regno disjungatur, nemo est, qui igno-
rat, hinc vel calami, vel typi errorem irro-
nisse constat.

Sæcul. XVI. dum Genuam, patrium ipsius solum, tenuissent, nil ardentius in votis habebat, quam ut hanc quoque urbem libertati suæ restitueret. Valuit quoque successus; quippe Pontifex illos, quos Ludovicus XII. a veniæ gratia excluderat, ad suas partes trahebat, eis pecunias suppeditabat, atque, ut in Romandiola convenirent, concedebat, illisque Ducem constituebat Janum Fregosium, omni tempore capitalem Gallorum hostem. Hi Papæ jussu clam Genuensis status finibus accedunt, & per quasdam legiones, quas Cardinalis Sedunensis a suo exercitu sejunxerat, suas vires augent, & ope clandestini consilii, quod cum civibus fovebant, Genuam tam rapido armorum successu occupant, ut Galli ægre admodum in arcem, ac Lanternæ propugnaculum confugere possent: sed ne ipsa arcis firmitas fugitivis salutis fuit; exiguo enim post tempore in deditioem accepta est, classe, quæ ex Provinciæ ora accurrerat, laborantibus Gallis opem ferre nequicquam conata: Diutius vero hostium impetus sustinuit Lanternæ propugnaculum, cum illud comneatum copia abundaret, necnon provide illius præsidium mutatum fuisset.

§. XXVIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

*Venetis Crema a Gallis resti-
tuta.*

Igitur Gallis in toto continentis imperio
unica parebat Crema, quam tamen
urbem Veneti dura obsidione premebant,
quibus etiam Cardinalis Sedunensis ad
Papæ preces ingentem Helvetiorum suo-
rum numerum submittebat, qui eo for-
tiore animi virtute dimicabant, quo im-
portunius hanc urbem Mediolanensi Du-
catui denuo conjungi postularent; nihi-
lominus Helvetiorum fortitudinem præ-
vertit Venetorum dexteritas, qui ex ci-
vibus quemdam sollicitabant, ut Durasio
civitatis Præfecto exponeret, tam pro-
priæ ipsius, quam præsidii sui saluti vel
maxime consultum iri, si nec Helvetiis,
nec Maximiliani Sfortiæ Ministris fidem
suam addiceret, sed rem illi bene atque
feliciter cessuram, si urbem Venetis red-
dendo, illorum arbitrio sese committeret.
Durasius his rationibus devictus, cives
rogat, ut nomine suo cum Venetis de
pace agerent, nec absuit secundus consi-
liis eventus; quippe die nona Septem-
bris Anno salutis millesimo quingentesi-
mo duodecimo Crema Venetis reddita
est, ea duntaxat lege, ut Veneti urbem
ingressi quindecim aureorum millium
summam

*Guic. lib. II.
Marian. l. 30
n. 55.*

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

summam penderent, cujus ope Durastus, sui que in Franciam redire possent. Itaque Gallis in tota, qua late patet, Italia nil supererat, quam Lignanum, Novariensis arx, Cremonense ac Mediolanense Castrum, cum unico Genuæ propugnaculo. Tam præclara obsequia Sedi Apostolicæ ab Helvetiis præstita summus Pontifex memori relegebat animo, atque in gratitudinis suæ testimonium illorum Pagis, quos *Cantones* vocant, enssem pileum, clypeum, atque vexillum donavit, eosque honorificentissimo titulo *Defensorum, & Propugnatorum Pontificiæ libertatis* decoravit.

§. XXIX.

Gurcensis Episcopus plena auctoritate a Cæsare instructus Romam venit.

Raphael hoc ann. n. 86. Michael Coccin. de bello Ital. rer. Germ. Basel in add. ad Nauch,

Cum in Mantuano congressu decretum esset, Gurcensem Episcopum Romam esse mittendum: hic itineri sese accinxit, in cunctis, quas transibat, status Ecclesiastici urbibus exceptus honoribus summo Principi debitis. Ipse Pontifex, haud contentus, quod Episcopo, trecentis licet viris stipato gratuitum decerneret hospitium, in pleno etiam Purpuratorum Senatu proposuit, ut simul omnes Cardinales obviam effusi, eundem in Romanæ

manæ urbis foribus exciperent. Morem Sæcul. XVI.
A.C. 1512.
gerere constanter renuebant Cardinales,
rei novitatem caussati, Julius quoque
eorum rationibus cedens, non nisi duos
Purpuratos præmisit, qui usque ad Pon-
tem - Molem procedebant, atque utrum-
que Episcopi latus stipantes eum ad Ec-
clesiam S. Mariæ de Populo adducebant.
Adventantem Papa perbenigne in publi-
co Consistorio excipiebat; ejus enim o-
pera ad conciliandum sibi Cæsarem ad-
modum utilem existimabat.

§. XXX.

*Papa de Hispanis apud Gurcensem
Episcopum conquestus.*

Absolutis hisce solemnibus de negoti-
i summa agi cæptum est, ac primo qui-
dam Hispanorum res discutebantur;
quippe eisdem, donec Galli penitus ex
Italia expulsi essent, singulis mensibus
quadraginta aureorum millia esse nume-
randa decernebatur; hanc igitur sum-
mam deinceps etiam ipsis solvendam
contendebant: ast cum jamjam a Floren-
tinis centum aureorum millia accepis-
sent, nec minoris valoris æstimaretur Flo-
rentini Prætorii spolium, hinc nullum
ampliora exigendi jus Hispanis suf-
fragari videbatur, præsertim cum Galli
nonnullas adhuc dum Italiæ urbes possi-
derent.

Hist. Eccles. Tom. XXXII. E e de-

Sæcul. XVI
A. C. 1512.

derent. His etiam accessit, quod Julius Pontifex Gallicæ ejectionis epocham a die, qua Palicius Alpes superabat, ducendam esse affirmaret. Insuper apud Gurcensem querebatur Papa, quod Hispani in Neapolis Regno Columnensibus refugium locum concessissent, quæ res non parum Pontificis animum afflixerat, eo quod, ut supra meminimus, Ferrariæ Dux Columnensium ope Roma excedens, Julii vindictam evasisset, cui tamen responsum: haud mirandum, quod Hispani Duci in Neapolis Regno asylum indulissent, cum Fabricius Columna hujus coronæ Connestabilis esset. Incusabat etiam Hispanos Pontifex, quod Senensis ac Luccensis Reipublicæ patrocinium implorassent, unde is inferebat, quod in Etruria sedem figere parassent, eo fine, ut Austriæ Archiduci Mediolanensem Ducatum assererent. Hispani, quamvis cunctis hisce Julii suspicionibus immerito conceptis obviare haud tenerentur, nihilominus, quid responderent, satis promptum habebant.

§. XXXI.

*Papæ rationes Mutinam, Reggium,
Parmam ac Placentiam re-
tinendi.*

*Petr. de
Angler.
epist. 512.*

Post hæc agitabatur quæstio, utrum Pontifex Mutinam, Reggium, Parmam, &

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

& Placentiam jure retinere possiet : Ille enim, ut has urbes Sedi Apostolicæ affereret, atque tueretur, satis superque effecensebat, si illas Ravennatis Exarchatus partem fuisse contenderet, cum enim hunc Pipinus, & Carolus Magnus Ecclesiæ donassent, inde inferebat Pontifex, eundem totum Sedi Apostolicæ esse obnoxium, quamvis ceteroquin sat manifestum sit, quod ejus limites sese ultra Mutinam nunquam extenderint, imo dubium sit, utrum eo usque vel unquam illius fines excurrerint : Cuncta tamen, quæ ipsi commoda videbantur, in hac donatione comprehendi voluit Pontifex, cui quidem Gurcensis Episcopus aliquamdiu obstitit, ast cum Julius nil de postulatis remitteret, sancitum est, quod controversæ hæ urbes Pontifici cederentur, usque dum fœderis articuli plene executioni dati fuissent, nimirum, donec Ferrariæ Dux ditioe sua exueretur, & Galli intra Alpes nullam omnino urbem possiderent ; interea vero Cæsaris jura in hasce civitates penitus asserta permanere, Episcopus instrumento fide dignissimo profiteretur. Id etiam effectui datum, urbesque Sacræ Sedi tradebantur, adjecta duntaxat hac clausula : *Sine præjudicio jurium Imperii.* His annuit Julius Pontifex, qui salva tamen rei sub-

E o 2

stantia

Sæcul. XVI. A.C. 1512. stantia de externis verborum solemnitatibus parum sollicitus erat.

§. XXXII.

De concordia Cæsarem inter & Venetos actum.

Persæpe pacis Conciliatores concordiam Imperatorem inter & Venetos revocare incassum conabantur, litigantibus nunquam cedere cogitantibus: Nunc vero inter ceteros postremus, ac præcipuus de reddenda hac pace articulus agitabatur, Gurcensi Episcopo proponente, quod Venetis relinquuntur Patavium, Tarvisium, Brixia, Bergamum, & Crema adjectis tamen duabus his legibus, quibus Veneti harum urbium nomine unicum annuo triginta aureorum millium censu etiam Cæsari clientelarem fidem profiteri, necnon ducenta aureorum millia numeratæ pecuniæ pro feudorum diplomate pendere tenerentur, Cæsari vero Vicentina, & Veronensis ditio, cunctaque in Reipublicæ imperio ab eodem parta relinquerentur, nullumque Venetis in illa jus ultra suffragaretur. Ast Reipublica imperium in populos suos tenere assueta, has condiciones nimium duras reputans, eas acceptare recusabat, significans, quod, haud amplius Veneti si Vicentiam cederent, Bresciam ac Bergamum tueri

tuari possent, & cum aliunde perpetuum Vi-
centinis præsidium polliciti essent, se sal-
vo Reipublicæ honore, & sine datæ fidei læ-
sione ejusmodi conditionibus acquiesce-
re non posse asserabant. Hæc a Venetis
non immerito proponi, agnoscebat Julius,
verum singulorum vires in Gallos u-
niendi desiderio abreptus, has propositio-
nes quantumcunque duras a Venetis ra-
tas haberi peroptabat, nihilominus Gur-
censem Episcopum precabatur, ut eas
justo moderamine temperaret; idem quo-
que rogabat Helvetiorum Orator Romæ
legatione functus, qui promisso viginti
quinque aureorum millium annuo censu
cum Republica inducias nuperrime san-
xerunt; ast cuncti surdas pulsabant au-
res, Germanis de jure suo nihil remit-
tentibus, Venetisque cunctas conditiones
rejicientibus.

§. XXXIII.

*Julius Papa, relictis Venetis, cum
Cæsare foedus paciscitur.*

Julius pacem maturare desperans, cui
parti accedere magis expediret, sedu-
lo considerabat, ac Germanorum socie-
tatem Sedis Apostolicæ commodis ma-
gis proficuum ratus, relictis Venetis, cum
Cæsare adversus eos foedus pepigit,
non modo ut illius amicitiam sibi prome-
reretur,

Ee 3.

Sæcul. XVI
A.C. 1512.

Guic. lib. xx

sæcul. XVI.
A. C. 1512.

reretur, sed etiam, ut eundem ad amplectendam Lateranensem Synodum, nec non ad apertum bellum Gallis inferendum inclinaret. Eadem quoque consilia Pontifex Hispaniæ Legato suggerere conabatur, ille vero respondit, quod res maximi esset momenti, nec præceps in ea consilium Regiæ Domini sui Majestati congrueret, cum Galli necdum adeo longe ex Italia pulsi essent, quin revocati reverti possent, eos vero, si Veneti a foedere segregarentur, eo certius ad reditum provocari ajebat.

§. XXXIV.

Fœdus Papæ ac Cæsaris contra Venetos.

Petr. Just.
l. II.
Raynald. hoc
ann. n. 91.

Hæc rationum momenta jamjam Papæ animum permovere videbantur, cum inopinanter Gurcensis Episcopus illi nunciat, ægre Cæsarem unquam in Papæ gratiam rediturum, si præsentem sibi eum devincendi opportunitatem negligeret; certum ex adverso esse, Venetos serius, aut citius eo compulsurum iri, ut in pristinam cum Sede Apostolica concordiam reverterentur. Hac tandem ratione expugnatus Pontifex, Gurcensi acquievit: Igitur Papam inter & Cæsarem foedus pacis sancitur, in Ecclesia S. Mariæ de populo utrinque firmatum, cujus præcipuæ
erant

erant conditiones, vi quarum Julius Pa-
 pa a Venetorum societate, cum pacem
 inire renuissent, penitus discederet, eos
 tanquam Sedis Apostolicæ hostes habe-
 ret, illosque sacris atque profanis ar-
 mis insequeretur, inducias cum illis pa-
 ctas dissolveret, nec cum illis novas con-
 traheret, nisi prius Cæsari plena, ac
 integra fide satisfecissent. Maximilia-
 nus quoque pro parte sua foederi Anno
 Domini quingentesimo undecimo supra
 millesimum erecto accessit, locumque
 sibi tum reservatum occupavit, demum Pi-
 sanum Concilium detestatus cunctaque
 ejus nomine ibidem agitata, irrita decla-
 ravit, Lateranensem vero Synodum com-
 probans pollicitus est, se Sedis Apo-
 stolicæ hostibus nominatim Ferrariæ Du-
 ci, ac Bentivoliis nullo pacto opem la-
 turum, redditurum vero summo Pontifici
 Parmam, Placentiam & Regium urbes,
 quin inde S. R. Imperio præjudicium ac-
 cedat; addidit etiam, Hispaniæ atque
 Angliæ Reges sollicitandos esse, ut & i-
 psi novis hujus pacti articulis, qui in fo-
 deris legibus Anno millesimo quingente-
 simo undecimo sancitis desiderabantur,
 accederent, Hispanis quatuor mensium
 spatio ad foedus firmandum concessio, qui
 tamen evoluta hoc termino sibi oblata
 nondum acceptabant. Promulgatum

Sæcul. XVI.
 A. C. 1512.

Sæcul. XV. est hoc foedus solemniter ritu feria quinta
 A.C. 1512. die secunda Decembris.

§. XXXV.

Sessio III. Concilii Lateranensis.

Cum hoc anno funesta lues Romam
 multiplici clade funestaret, hinc usque
 ad præsens tempus Lateranensis Synodi
 celebratio interrompebatur: Patrum enim
 potissimi hoc malo territi, absoluta Sessione
 secunda urbe excefferant, Concilium ad
 Mensem Decembrem prorogantes. Ab-
 sumperat pestilentiae vis Illustrum Vi-
 rorum quam plurimos, hac tamen ipsa
 calamitate Divinum Numen utebatur ad
 perficiendam cujusdam pii Religiosi San-
 ctitatem. Is erat P. Pascalis ex Ordine
 S. Dominici, qui meritorum suorum suf-
 fragio ad Episcopalem Burgi Sedem eve-
 ctus, crebris ante & post mortem mira-
 culis inclaruisse dicebatur. Nec minus
 eo tempore celebris erat Sanctitas Ave-
 nionensis Archiepiscopi, ac Regiensis An-
 tistitis, qui ambo virtute eminentes,
 pari pietatis atque eruditionis laude illu-
 stres celebrabantur. Interim cum Hye-
 mis rigor pestilentiae vim reprimeret, Pa-
 tres ad pristinas Synodi curas redibant,
 ac tertiam Sessionem celebrabant, cui
 præsens erat summus Pontifex, comitan-
 tibus eum Cardinalibus, Patriarchis, Ar-
 chi-

Labbe Conc.
toll. tom. 14.
p. 79.
Mariana
l. 30. n. 57.

chiepiscopis, Episcopis, aliisque Prælatiſ. *Sæcul. XVI.*
 Peracta re divina per Marcum Vigerium *A.C. 1512.*
 Cardinalem Præneſtinum, Alexius Mel-
 fitenſis Episcopus ſermonem habuit, *Conc. gen.*
 abſolutisque de more ſolemniſ Thomas *p. 80.*
 Phædra, qui Concilio a Secretis, conſenſo *Rayn. l. c.*
n. 92. & 93.
 ſuggeſtu mandatum prælegit, quo Impe-
 rator die prima Septembris Gurcenſi E-
 piſcopo tum præſenti plenam facultatem
 dederat, ut ejus nomine Procuratorem
 in Synodo ageret, *necnon irritaret, ac pe-*
nitus deleteret omnia & ſingula, quæ per ec-
cleſiam Gallicanam in civitate Turonis ac
in Piſano conventu acta fuerunt, Synodum
 vero Lateranenſem velut legitimam ap-
 probaret, atque veneraretur. Perlecto
 hoc mandato Gurcenſis Episcopus *omnia*
acta & agenda per Piſanum conciliabulum
irrita & nulla, adhibitis omnibus ſole-
mnitatibus, declaravit.

His peractis Petrus Mengivar Cursor
 Apoſtolicus retulit, ſe urgente Mariano de
 Cuccinis Procuratore, ad portas ipſius
 Concilii citaffe, ac monuiſſe omnes &
 ſingulos Prælatos, alioſque tam Eccle-
 ſiaſticos, quam ſæculares, ut cuncti, qui
 Concilio intereſſe conſueverunt, ibidem
 comparerent, atque Sacroſancto Conci-
 lio intereſſent. His non accedentibus
 idem eos contumaciæ poſtulari petiit,
 moxque Forollvienſis Episcopus ambo-
 nem conſcendit, legitque Bullam, cujus

Sæcul. XVI. supra meminimus, qua Pontifex cuncta
A.C. 1512. Pisis, Mediolani, vel Lugduni, ad quam
 urbem Pisana Synodus translata fuit,
 acta vel publicata damnat, & detestatur,
 ac Regnum Franciæ interdicto subjicit,
 (*) demum cetera recitavit Episcopus,
 quæ in præfata Bulla contineri retulimus,
 & ipse Pontifex quantum ad totam vim
 suam in præsentiarum innovare voluit.

§. XXXVI.

*Gurcensis Episcopus Roma Mediola-
 num profectus.*

Tertia Synodi Sessione absoluta, Gur-
 censis Episcopus nonnisi grandia fa-
 cere assuetus, mense Decembri ad medi-
 um inclinante Roma proficiscitur, solem-
 nibus interfuturus, quibus Maximilianus
 Sfortia in jure Mediolanensis Ducatus
 confirmandus, ac in ejus possessionem
 admittendus esset. Episcopum præstola-
 bantur Sedunensis Cardinalis, atque Hel-
 vetii, solemnem huncce ritum peracturi,
 qui quamvis id obsequii genus ipsis præ-
 ceteris maxime deferri desiderassent, ite-
 ratis

(*) *Observez velim benevole Lector, hoc
 interdictum sacro Concilio plenariam notitiam
 habente, & approbante a Papa latum fuisse.
 Consule tom. XX. Historiæ Fleurianæ lib. 72.
 §. 29. versionis fol. 497.*

ratis tamen Papæ precibus devicti cede-
 bant; igitur Episcopus in publico confes-
 su Præsidis vices agebat, non sine gravi
 aliorum contentione. Mediolanenses cum
 proprius ipsis Dux redderetur, tanta per-
 fundebantur lætitia, ut gaudii sui immen-
 sitatem testificaturi, profusis extra mo-
 dum sumptibus festivos dies agerent.
 Summa cernebatur magnificentia, qua
 Dux novus urbem ingressus, die vigesi-
 ma nona Decembris ab Episcopo Gurcensi
 Mediolanensis Ducatus possessioni immit-
 tebatur. Ejus investituræ legibus inser-
 tum erat, quod Bergamum quoque ac
 Brixia Ducatus sui limitibus compre-
 henderentur, nec id sine gravi Veneto-
 rum indignatione, ipse quoque Cardonna
 Neapolitani Regni Prorex sibi Cardinalem
 Sedunensem præponi, & Mediolani cla-
 ves ac dignitatis Ducalis insignia novo
 Principi deferendi honorem præripi, æger-
 rime tulit, hinc ne hisce solemniis præsens
 adesse cogeretur, indignabundus urbe
 excessit.

§. XXXVII.

Sessio IV. Concilii Lateranensis.

Habita est die decima quarta ejusdem
 mensis Decembris quarta Lateranen-
 sis Concilii Sessio, cui præsidebat ipse
 summus Pontifex, & sacris operaba-
 tur

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

Sæcul. XVI
A.C. 1512.

tur Cardinalis de Flisco: Christophorus vero Marcellus Nobilis Venetus, & Sedis Apostolicæ Notarius ad Patres sermonem habuit. Post hæc precibus de more persolutis Cardinalis quidam Evangelium prælegit ex capite decimo tertio S. Matthæi desumptum, quod ab hisce verbis incipit: *Exiit, qui seminat seminare semen suum.* Post hæc Francisci Foscarum Venerorum Oratoris Secretarius nomine Reipublicæ quoddam mandatum Synodo obtulit, quo idem Foscarus ab eadem Republica Procurator constituebatur, concessa ejus nomine in Concilio agendi facultate, idemque Secretarius Foscarum absentiam ab hac Sessione excusabat, adversam illius valetudinem causatus. Hoc mandatum die decima Aprilis signatum a Thoma Phædra Concilii Secretario publice recitatum est, quo finito Papa Regias Ludovici XI. Galliarum Regis literas de abrogata Sanctione Pragmatica ad Pium II. Papam die vigesima septima Novembris anno millesimo quadringentesimo sexagesimo primo datas prælegi iussit. His perlectis mox Concilii Advocatus oratione adversus hanc Pragmaticam habitam illam penitus revocari, ac monitorium, ut vocant, contra Prælatos, Capitula, Principes, Parlamenta, aliosque Francici Regni Viros decerni petiit, quo Synodum accedere, ac rationes, si quas haberent,

berent, ob quas dictam Sanctionem non abrogarent, allegare juberentur. Posthæc Pontificis jussu perlecto hoc monitorio, omnes, qui Synodo assistendi jure destituti erant, a loco Concilii excludebantur; demum vero sancitum, ut omnes cujuscunque conditionis essent, qui Pragmaticæ faverent, infra sexaginta dies citati comparerent, atque ad calcem hujus Constitutionis Papa Sessionem quintam ad decimam sextam Februarii indixit.

Sæcul. XVI.
A C. 1512.
Labh. Collec.
Conc. p 98.
§ 100.

§. XXXVIII.

*Ferdinandi Hispaniæ Regis molimina
adversus Navarrae Regnum.*

Hoc anno in Hispania Arragonum Rex Navarrae Regnum suo subjecit Imperio: Jam enim quadringenti effluxerant anni, in quibus Castellæ, & Arragoniæ Reges suæ Monarchiæ limites ad hoc quoque Regnum protendere conabantur: Illud ergo Ferdinandus Rex Catholicus Prædecessoribus suis cupiditate haud inferior, Germanæ Reginæ conjugis suæ nomine armis subigere aggreditur; hæc enim Gastonis de Fuxo Nemorsii Ducis Fratris sui nuper defuncti hæres erat, in jurium ejus Successionem vocata. Præprimis Ferdinandus Henricum VIII. Angliæ Regem, ut Gallis bellum nunciaret, mira dexteritate inducit, exponens, ad
recu-

Marian. lib.
30. n. 48. 49.

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

recuperandam Aquitanniam suo Prædecessori a Gallis ereptam jam nunc opportunam offerri occasionem; ne vero Henricum expeditionis hujus difficultas ob remotiorem Aquitanniæ situm ab hoc consilio deterreret, Ferdinandus pro affectu, quo in eum ferebatur, pollicitus est, se copias, naves onerarias, tormenta, commeatum, armorumque apparatus eidem suppeditaturum, nullo alio tot impensarum foenore sibi reservato præter unicum Genero suo gratificandi desiderium. Henricus laqueis hisce captus, pro recuperanda Aquitannia foedus cum Ferdinando pepigit, inducias nuper cum Francia innovatas dissolvit, & a suo supremo Senatu, eoquod de bello in Ludovicum XII. movendo ageretur, subsidium satis amplum obtinuit.

§. XXXIX.

Exercitus ab Angliæ Rege in Hispaniam missus.

Guic. l. II. *Maria. l. 30.* *Polyd. Virg. l. 27.* Hisce consiliis, quæ ambo Reges agitabant, sine temporis mora maturatis, Henricus classis suæ imperium Eduardo Howart Surregiæ Comitæ Filio natu majori contulit, terrestribus vero copiis Thomam Grayum Dorcestriæ Marchionem præfecit. Exeunte ergo mense Majo omnes hæc copię ad invadendam Aquitanniam

niam selectæ, conscensis duabus Hispanorum navibus octava Junii ad Jopuscoæ Provinciam appulere, ubi Dorcestriæ Marchio milites suos, quibus præerat, in terram exposuit, classis vero Præfectus, qui eum comitabatur, factis velis ad Britanniae oram procurrit, ubi Gallorum classem offendit, quacum die decima mensis Augusti navale prælium iniit. Finita pugna obliquatis velis Aquitanniae oram legere cupiebat, ast non idem erat Ferdinando consilium, qui Navarram sibi soli vindicare meditabatur, atque ad hujus expeditionis successum Anglorum copiis, quas in Hispaniam accersivit, uti decreverat: cum vero Henricum hujus propositi certiozem reddere, nullatenus e re fuisset, illum vana recuperandæ Aquitanniae spe lactare oportebat, ut eo promptius copiarum suppetias submitteret. Hæc genuina erat ratio, qua permotus Rex Catholicus sese ab omni proprii quæstus studio adeo alienum exhibebat, ut tota futuræ felicitatis summa penes Angliæ Regem stare videretur. Verum promissi facilitatem operis constantia minime æquabat.

Sæcul. XVI.

A. C. 1512.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. XL.

===== *Ferdinandi artes ad occupandum Navarrae Regnum.*

Nihilominus milites summo studio in Castella conscribuntur, atque Albæ Dux supremum in illos imperium gerere, junctisque viribus cum Anglorum exercitu præconceptam in Aquitanos expeditionem aggredi jubetur. Jam Dux eo advenerat, atque Angli prope Fonterabiam castra metabantur, Bajonam, ut inter eos conventum erat obsessuri; verum Albenis adeo non Anglorum copiis ibidem sese conjungere festinabat, ut etiam Lugrunii in Navarrae finibus otiosus subsisteret, ubi Anglici exercitus Duci hæc significabat: Bajonam aggredi, cum Navarra a tergo relinqueretur, res est periculis plena; eo quod hic Rex Gallis foedere junctus esset, ut proin facile Hispanis interea Bajonæ obsidioni intentis, Gallos in Regnum suum evocare, suasque illis vires jungere posset, quo facto, si ambo exercitus, inter montium juga, & maris oram sua castra locaturi forent, illis, qui Bajonam obsident, abs dubio commeatum intercipient, nullo etiam, nisi id Gallis expedire videretur, tentato prælii discrimine; tanta hæc sunt rationum momenta, ut, priusquam obsidioni

dioni initium daretur, Navarræ Regem, *Sæcul. XVI.*
 ut ad Hispanorum atque Anglorum par- *A. C. 1512.*
 tes accederet, sollicitare oporteret.

§. XLI.

*Duo Consilarii a Ferdinando ad Na-
 varræ Regem deputati.*

His rationibus ab Anglo comprobatis, *Surita l. 10.*
 Rex Catholicus duos Regni sui Con- *c. 7. & 8.*
 siliarios ad Navarræ Regem tum in Gal-
 liis agentem ablegabat, qui Regis sui no-
 mine exponerent, quod Hispani atque
 Angli decrevissent, junctis viribus, toto-
 que armorum apparatu Aquitanniam in-
 vadere, eo duntaxat consilio, ut Gallia-
 rum Regem, ne diutius Ecclesiam schis-
 mate scinderet, præpedirent; hinc se-
 sperare dicebant, quod Navarræ Rex sal-
 vo honore suo transitum negare haud pos-
 set, eoquod hujus coeli temperies ex-
 teris minus propitia esset, proin Regem
 Catholicum tres, quatuorve urbes a Na-
 varro petere ajebant, ne forte hostes ea-
 rum opportunitatem in Hispanorum dam-
 num verterent, eas tamen nonnisi quin-
 que aut sex mensibus retinendas promit-
 tebant, cum illud temporis spacium ad
 Aquitanniæ expeditionem sufficere cre-
 derent, qua parta urbes non minori, quam
 traditæ fuissent, fide mox restituendas
 pollicebantur. Tantam postulati liberta-
 tem

Hist. Eccles. Tom. XXXII. F f tem

Sæcul. XVI. tem Navarræ Rex vehementer admira-
 A.C. 1512. tus, ambos Hispaniæ Consiliarios vana
 spe lactandos duxit, donec de periculo
 sibi imminente Ludovicum certiozem red-
 didisset, ab eoque suppetias impetrasset.
 Interea Galliarum Rex totum ferme ex-
 ercitus sui robur ad Aquitanniæ Provin-
 ciam admovebat, ductore Francisco Au-
 relianensi Longevillano Duce: accepto
 autem Navarræ Regis nuncio, Bellidu-
 ci suo negotium dedit, ut exercitum in
 duo agmina partiretur, alterumque Pa-
 licio mitteret, Navarram versus ducen-
 dum; ast Longevillanus iussa Regis exe-
 qui neglexit, persuasus, Anglis resisten-
 do se imparem fore, si ex Regis senten-
 tia exercitus sui numerum media omni-
 no parte imminueret, cum tamen Angli
 ad solam excensionem totidem ad minus
 milites paratos haberent, quot ipse in
 suis castris recensere posset.

§. XLII.

Hispanorum exercitus Navarræ.

Ceterum Rex Catholicus Navarram oc-
 cupare unice intentus erat, atque ad
 auspiciandam expeditionem Albæ Dux
 Victoriæ agens, ultima Regis Domini
 sui mandata præstolabatur. Hic in exer-
 citu suo recensebat mille cataphractos,
 mille quingentos levioris armaturæ equi-
 tes

Marian. lib.
 30. n. 50.

tes, peditumque sex millia; belli autem tormenta numerabat viginti octo, has copias in minoribus Provinciis, Alaba, Ruconia, & Jupuscoa divisas habebat. Rebus ita dispositis Ferdinandus Dorcestrensem vehementer urgebat, ut suas quoque copias Albenfi conjungeret; ast Anglorum Bellidux consilii, quod Rex Catholicus agitaret, adhucdum ignarus, convocato hac super re Senatu, respondit, quod Regis sui mandata obstarent, quominus quicquam adversus Navarrae Regem moliretur, Albenfi vero, si omnino per hoc Regnum transire cuperet, id integrum esset, interim sibi, cum Bajonae proximus foret, haud animum esse ajebat, per tam amplas viarum circuitus ad eum accedere. Displicuit Ferdinando responsum: nihilominus rursus, ac impensius sollicitabat Dorcestriae Marchionem, ut Anglorum copiis suas jungeret; hic vero Ferdinandi jussis morem gerere renuit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1512.

Massolier.

hist. Card.

Ximen. t. 2.

l. 5. p. 230.

Et seq.

§. XLIII.

*Pampelona ab Albenfi obsessa,
& capta.*

Ergo Ferdinandus datis literis Albensem jubet, ut recta Pompeiopolim, seu Pampelonam Navarrae Metropolim cum toto exercitus sui robere contenderet.

Sæcul. XVI. ret. Paruit Dux, Rex tamen Navarrae
A. C. 1512. resistendo impar, Albenſis adventum haud
 ſuſtinuit, ſed Illumberim ſecedere ſtatuit,
 urbem non modo ſuæ ſecuritati, ſed eti-
 am transvehendis, quas ex Galliis ſpera-
 bat, copiis opportuniffimam. Rege vix
 urbe egreſſo, Albæ Dux inter ſuos pri-
 mus exercitum ſuum continuo admovit,
 quo adventante cives abjecta omnis au-
 xilii ſpe urbis ſuæ Præcipuos ad Ducem
 ablegarunt, qui ejus clementiam, præ-
 ſidiumque implorarent, traditiſque cla-
 vibus, Hiſpanorum copiis liberum in ur-
 bem aditum offerrent. Ergo Dux, dedi-
 tionis legibus a ſemetipſo antea pactis,
 die vigefima quinta Julii victor urbem in-
 greditur: Ferdinandus vero durante ob-
 ſidione Dorceſtriæ Marchioni illuſit, di-
 fertis verbis pollicitus, capta mox Pam-
 pelona, Albæ Ducem ad Bajonæ obſi-
 dionem copias ſuas admoturum. Equi-
 dem Ferdinandus hujus promiſſi legibus
 ligatus, jubere debuiſſet, ut Dux quanto-
 cius Angliſ ſeſe jungeret; verum Rex ob-
 tendebat, quod ob aliarum, quæ Navar-
 renſi parebant, urbium, earumque mu-
 nitiffimarum expugnationem copias ſuas
 ſubmittere præpeditus fuiſſet. Accepta-
 to hoc prætextu Albæ Dux continuato
 victoriarum curſu Navarram emenſus eſt;
 cum interea Anglorum copię ejus confi-
 liis ancillantes, motis nequidem unquam
 caſtris

castris suis, non nisi ad intuendam expeditionem selectæ viderentur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1512.

§. XLIV.

Navarræ Rex in Franciam profugus.

Interim Navarræ Rex a Ferdinando la-
cessitus, in Gallias sese recipere statuit,
Regnum suum repetendi magis propitiam
præstolaturus occasionem. Eo vix Na-
varram egresso, omnes ferme urbes, ne-
quidem ad deditioem sollicitatæ, ultra
Deputatos suos ad Albæ Ducem ablega-
runt, supplices, ut eos in fidem suam re-
ciperet, ea tamen Lege, ut illis paria
cum Arragonensibus jura ac privilegia
indulgeret.

§. XLV.

*Tota ferme Navarra a Ferdinando
expugnata.*

Ceterum sola Victori Ferdinando obsti-
tit Estallensis arx, quæ aggerum suo-
rum longe munitissimorum fiducia elatior
deditiois leges aspernabatur, cives quo-
que in Escuana valle habitantes, cum cir-
cum circa rupibus accessu difficillimis cin-
cti essent, sese subicere renuebant. Spre-
ta horum pertinacia, Rex Catholicus tan-
ta vincendi rapiditate fretus, unice eo cu-
ras intendit, ut coronam recens partam
tueretur; unde Lugrunium usque pro-
gressus,

F f 3

gressus,

Sæcul. XVI. gressus, cuncta Navarrensiū privilegia
 A.C. 1512. confirmavit, ac non sine Gramontensi-
 um, qui Navarræ Regi se addixerant, di-
 spendio Beamontiorum factionem restau-
 ravit. Tanta vero moderatione ac regimi-
 nis lenitate erga populos nuper armis sub-
 actos utebatur, ut illi se exteri Princi-
 pis imperium subjisse, vix animadvertent,
 & quoniam Arragonensibus minus
 propensi essent, Ferdinandus illos Castel-
 lanis adjunxit.

Tunc primum Dorcestriæ Marchio se
 a Ferdinando delusum agnovit, hinc que-
 rebatur, quod Rex haud integra fide bel-
 lum fuisset auspicatus, eo quod nil minus
 quam Aquitanniam, sed potius Navarræ
 Regnum occupare in mente habuisset.
 Nihilominus Rex Catholicus Marchionis
 querelas flocci pendens, alieno Regno in-
 hiabat, eoque quiete fruebatur.

§. XLVI.

*Utrum Julius II. Papa Navarræ
 Regem anathemate perculerit.*

*Mezer. ab-
 reg. chron.
 tom. 4. p. 189.
 Vie de Louis
 XII.
 Spond. ad
 an. 1512. n.
 23. & 24.*

Referunt Scriptorum nonnulli, quod
 Ferdinandus ad invadendum Na-
 varræ Regnum, illudque deinceps deti-
 nendum edicti a Julio II. promulgati ob-
 tentu usus fuerit; a nonnullis enim me-
 moriæ proditum legimus, quod idem
 Pontifex in Joannem Albretum anathe-
 ma

ma vibraverit, quin imo non desunt, qui hanc Bullam mense Februario vel ut alii volunt prima Martii die datam, eaque Navarrensis Regni possessionem primo occupanti assertam fuisse tradant. Cum autem nullus omnino ex hisce Scriptoribus hanc Bullam alleget, nec eorum, quæ in illo continentur, summam recenseat, potius confictam censemus. *Fac tamen verum esse, inquit Mezeraius, ejusmodi editum fuisse promulgatum, nequaquam tamen ejus obtentu Regnum, quod a solo Deo concessum fuit, occupari potuisset; Præterea etiamsi ejusmodi Constitutio jus in Regnum tribuere valeret, nihilominus hæc Bulla primum mense Julio fuit promulgata, cum tamen Hispani Scriptores testentur, quod Ferdinandus hoc Regnum jamjam mense Junio invaserit. Hanc in rem Mariana id solum te-*

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

Sandoval. in
vita Carol.
V. Imp. l. 1.
p. 45.

Marian. lib.
30. n. 51.

statum reliquit: quod Antonius Acunias Zamoræ Episcopus superioribus diebus Pampelonem adierit, ac Pontificis verbis obtestatus fuerit, ne Vasco cum factiosis, ac pacem Ecclesiæ turbantibus res suas misceret, ac si secus esset factum, diras in caput ejus minas & extrema exempla detestari jussus fuisset (*). Idem vero Scriptor: Parum

F f 4

ea

(*) Forte Continuator oblitus est, quod Mariana lib. 30. paulo ante hunc titulum capitulo

Sæcul. XVI
A.C. 1512.

Nebriss. de
bello Navar.
lib. I.

ea tunc diligentia profectum fuisse, mox sub-
jungit. His igitur satis superque confu-
tatum videtur, quod nunquam a summo
Pontifice ejusmodi Bulla fuerit edita.
Ceterum ferme omnes Hispani Scripto-
res nil intentatum relinquunt, ut hujus
usurpationis iniquitatem honesto obtentu
purgare valeant, solus tamen Mariana
excipi meretur, in cujus integritatis te-
stimonium fateri cogimur, quod nec pa-
triæ suæ affectu, nec exilii timore, quo
postea mulctabatur, sese abripi passus sit,
quo minus Navarræ invasionem velut
manifestam usurpationem, atque atro-
cissimam injustitiam describeret.

XLVII.

38. præfigat: Vasconum Rex a Pontifice ana-
themate devinctus; *in ipso autem capituli corpo-
re hæc referat* Cognito Pontifex eum Regem
Ecclesiæ hostibus favere, ac Pisani conventus
Patres complecti ex animo, re cum Cardinali-
um Senatu communicata, Regem, & Reginam
execratione ritu Christiano devinctos ditone
omni spoliavit. Hæc sententia ad duodecimum
Kalendas Martii est Romæ pronunciata. *Hanc
tamen Bullam a Papa fuisse editam, egregio
confutat Spondanus loco supra citato.*

§. XLVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.*Dorcestriæ Marchio in Ferdinandum
commotus, ac in Angliam redux.*

Occupato hoc Regno Rex Catholicus *Raynald. l. c.*
 Dorcestriæ Marchioni Anglorum Bel- *n. 80.*
 liduci significabat, copias suas in Aquitani-
 am movere paratas esse, proin rogare se, ut nulla mora Albæ Ducem cum exercitu suo accederet; insuper speciatim hanc in rem Rex Legatum in Angliam misit, qui Henricum de toto rerum statu edoceret, ac cuncta in Anglorum commodum agi nuntiaret, eo fine, ut Marchionis querelas, quas forte apud Regem suum delaturus esset, mature præveniret. Verum hic Bellidux fracta demum patientia, ultra ambitiosis Ferdinandi consiliis inservire renuebat; cum enim aliunde tam annonæ penuria, quam morborum vis magnam exercitus sui partem depasceret, a Rege Catholico postulavit, ut ipsi necessarias pro reditu naves suppeditaret. Jamjam Anglorum copiarum navem conscendere parabant, cum Ferdinandi Legatus ex Anglia redux Dorcestriæ Marchioni speciale Henrici mandatum tradit, vi cujus ad amicum Regis Catholici jussa exequi præcipiebatur. Verum Anglorum copiarum accepto hoc nuncio, seditionem concitabant; unde ul-

Sæcul. XVI. terioris moræ, imperiique impatientes, **A.C. 1512.** conscensis navibus mense Novembri in Angliam revertebantur. Hanc ob rem Henricus primo quidem vehementer Bellduci indignabatur, verum totam rei feriem, ac expeditionis successum edoctus, se a Ferdinando delusum fuisse, haud obscure intelligebat, tandem persuasus, quod Rex Catholicus in fœderis pacto animum a proprio quæstu tantopere alienum haud alio ex consilio monstrasset, quam ut eo securius Anglos laqueis suis irretiret; indignationem tamen suam premere opportunum judicabat Henricus, ne Ferdinando pacem cum Gallis ineundi obtentum subministraret; atque exinde totam belli molem in se solum converteret.

§. XLVIII.

Exercitus a Ludovico XII. Navarram missus.

Marian. lib. 30. n. 52. § 67.

Petr. de Angleria epist. 496. § 499.

Comperta Joannis Albretensis infortunio mox Ludovicus Galliarum Rex eundem in Navarræ Regnum restituere, animo constituit. Nec Consilio vires perdidit; quippe eo tempore ingentem perditum numerum, atque inter Equites suos numerabat octingentos Lancearios, præter illos, quos ad tuendam regionem trans Ligerim relinquebat: accesserant etiam aliæ copiæ, quæ superatis Alpi-
bus

bus reversæ erant. Grammontensis quo- Sæcul. XVI.
 que factionis Fautores septem armatorum A.C. 1512.
 millia adducebant. Igitur has copias in
 duo divisit agmina, atque uni præfecit
 Franciscum Valesium Engolismensem Co-
 mitem, qui proximus Gallicæ coronæ
 hæres, nonnisi duodeviginti circiter an-
 norum juvenis erat, alterum agmen du-
 cebat Carolus Borbonius Mompenserii
 Comes. Horum Imperio subdebantur
 Lautrecus Vice-Comes, Palicius, Ba-
 yardus Eques, pluresque alii Viri Nobi-
 les. Tandem fuit decretum, quod Na-
 varræ Rex in aciem educeret bis mille
 Germanos, quatuor millia Vasconum,
 ac mille cataphractos, hocque agmine in
 regnum suum irrumperet; cum interea
 Carolus Borbonius cum suis in Jupuscoæ
 ditionem populabundus excurreret, &
 Engolismensis Comes oppidum S. Joan-
 nis Pedeportuensis ejusque confinia tue-
 retur. Equidem copię adeo numerosæ
 pro Joanne Albretensi in Navarræ regnum
 restituendo sat validæ credebantur; ut ta-
 men adhuc certior esset victoriæ spes,
 sancitum est, hostium vires nova in Nea-
 polis Regnum expeditione distrahendas
 esse, proin Ferdinandum Arragonium
 Friderici, postremi hujus coronæ Regis fili-
 um ad id inducendum, ut ex Hispaniæ au-
 la, ubi undecimum jam annum captivus
 hærebat, fuga elaberetur, facta insuper
 eidem

Secul. XVI eidem fide, se valido præsidio munitum
A. C. 1512 a Gallorum classe ad Neapolis oram esse
 deferendum, eidemque promissum, quod
 simul ac Neapolis fines salutasset, pro-
 tinus a Regni Nobilibus in Regem pro-
 clamandus foret. Princeps ille harum
 pollicitationum amplitudine captus iter
 aggreditur, comitante eum Philippo Ca-
 polo, totius hujus fabulæ architecto. Ve-
 rum ambo, equis vix conscensis, capti
 abstrahuntur, ac paulo post Ferdinandus
 Princeps perpetui carceris & cœna multa-
 tus, ad Setabiense castrum abstrahitur:
 Capolus autem in quatuor partes discer-
 ptus, hoc supplicii genus mira animi con-
 stantia subiit.

§. XLIX.

Navarræ Rex in suo Regno victor.

Nihilominus Joannes Albretus, cum
 Albæ Dux jamjam usque ad
 S. Joannis Pedeportuensis oppidum
 processisset, in expugnandis præfati Du-
 cis propugnaculis, haud diuturniorem
 moram trahere constituit, unde recta co-
 pias suas per montes Pyrenæos, qui mi-
 nus accessu difficiles videbantur, copias
 suas eduxit, ac Burgium descendit, il-
 ludque oppidum tentato octo horarum
 assultu tandem vi cepit, desideratis mil-
 le suorum & amplius. Expugnata hac ci-
 vitate

vitae victoriæ cursum Milanum, Tassalam, Aurillum, Stellam, ac San-Caram usque extendit; quippe omnes hæ urbes, ubi Regem suum tam valido auxilio munitum cernebant, protinus Navarrense vexillum erigebant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. L.

Pampelona a Navarro cincta, obsidio soluta.

Interea Albæ Dux Navarrensum armorum successum edoctus, summa cele-
ritate camporum patentium æquora occupavit, atque Pampelonam ingressus validum urbi præsidium imposuit, cunctosque, qui cum pristino Rege suo conspirare timebantur, urbe expulit, demum vero omnes suas copias urbis mœnibus admovit, ita tamen, ut extra tormentorum jactum collocatæ essent. Verum Navarræ Rex hac Ducis solertia nil territus, Pampelonam obsidere aggreditur, infaus-
to licet successu; quippe Decembri prope exacto, cum annona, quam non modo ipse advexerat, sed & Navarrenses clam suppeditabant, deficeret, exercitus jam tertia obsidionis die gravibus vexabatur molestiis: Equidem Rex tota virium contentione obsidionis labores urgebat, jamque mœnia tormentis quassata amplo hiatu patebant, & Galli unacum
Navar-

*Pet de Angl. ep. 509.
Marian. lib. 30. n. 64.*

*Il. J. 1043
di. 1043
30. n. 64*

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

Navarrensibus irruptionem tentare iussi strenue accurrebant, raraque fortitudinis specimina utriusque Nationis milites edebant; non tamen sine gravi suorum dispendio identidem repulsi, accedente, qua premebantur, famis sævitia, obsidionem solvere compulsi fuere. Ergo Hispani partum Navarræ regnum rursus feliciter tuentur, non parum ad id conferente Episcopo Cæsar-Augustano, qui ad Albæ Ducis castra qua equitum, qua peditum sex millia ab Excea regione adducebat, quo auxilio, si Albensis fuisset destitutus, fors ægre obsidentium impetus sustinuisset, præcipue si Joannes Albretus belli peritia clarior fuisset.

§. LI.

Inglorius Gallorum reditus in Franciam.

Guicc. l. II.
Marian. lib.
50. n. 66.

Ceterum Albretus haud parum anxius erat, qua ratione per medios Montes Pyrenæos ad fugam sibi iter aperiret: Mense enim Septembri jamjam ad medium vergente asperrima obstabat coeli temperies, ipsaque montium juga, perinde ac si mensis Februarius ad finem declinaret, perpetuis erant obsita nivibus, quarum densitas fallaci soliditate in præceps ruendi periculum occultabat, unde viam lignibus, palisque aperire oportebat,

Sæcul. XVI. jungere statuit, injuriam a Ferrariæ Du-
A.C. 1512. ce acceptam ulturus; hunc enim in Nea-
 polis Regno, ut illud Ferdinando Fride-
 rici Filio assereret, seditionem concitasse
 insimulabat. Verum hujus consilii exe-
 cutio ad proximum Verem protracta est.

§. LII.

Tartari a Polonis cæsi.

*Jodoc. dec.
 in reb. gest.*

*Sigism. Pol.
 Reg.*

*Raynald. ad
 ann. 1512.
 n. 104.*

Magis quam Navarricum, quod Ferdi-
 nandus gesserat, æquum erat Polono-
 rum bellum, quo hi Lithuanis juncti hoc
 anno Tartaros profligabant; cum enim in-
 fideles cum exercitu viginti quinque milli-
 um, & amplius Russiam, Podoliamque in-
 vaderent, atque omnia ferro flammaque
 miscerent, a Christianis Equitibus, quam-
 vis nonnisi quatuor suorum millia recense-
 rent, adeo tamen cruenta clade affecti fue-
 re, ut ex tam numerofo eorum exercitu vix
 centum Christianorum gladios effugerent.
 Eo tempore Sigismundus I. qui tot præ-
 claris facinoribus *Magni* nomen emerue-
 rat, Polonorum Imperium tenebat, in
 quo is tum quadraginta annos natus Ale-
 xandro fratri suo successerat. Parta est
 hæc victoria die vigesima octava Aprilis
 in Festo D. Vitalis; unde hujus Sancti
 memoria hodie apud Polonos singu-
 lari cultu celebratur.

§. LIII.

§. LIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

*Bajazethis II. Turcarum Imperatoris
obitus.*

Hoc anno Selimus, qui ex Bajazethis *Chalc. in*
 II. Turcarum Imperatoris Filiis se- *Contin. l. 10.*
 cundo genitus erat, excluso Achmete *§ II.*
 natu majore, solium occupare constituit, *Spond.*
 unde bellum in patrem suum movit, *ad ann. 1412.*
 & *n. 38.*
 quamvis prælio devictus esset, Janisaros
 tamen ad suas partes pertrahens, eorum
 ope tanta crevit potentia, ut non modo
 Achmetem, sed ipsum quoque Bajaze-
 them in fugam ageret. Selimus e solio,
 quod non nisi seditionis beneficio conscen-
 derat, dejici veritus, eo crudelitatis est
 prolapsus, ut Patrem Medici sui ministe-
 rio usus, veneno necare decerneret, o-
 ptato plane successu; quippe Bajazethes
 die vigesima tertia Junii Anni millesimi
 quingentesimi duodecimi hausto veneno
 obiit, postquam annum ætatis septuage-
 simum quartum, imperii vero sui trige-
 simum primum expleverat. Ceterum
 Selimus sub primis Regni sui auspiciis Ja-
 nisaros, atque Imperii Proceres amplissi-
 mis muneribus cumulabat, Achmetes
 vero ejus frater sedulo amicitiam ac Æ-
 gypti Sultani præsidium sibi conciliabat;
 cum autem adverso prælio dimicaret, ac
 caperetur, Selimi jussu trucidatus est.

Hist. Eccles. Tom. XXXII. Gg Nec-

Sæcul. XVI. Necdum tamen inde satiata erat hujus
 A.C. 1512. Tyranni sævitia, alium quoque fratrem
 suum Corchutum, Virum quietis ac li-
 terarum studiosissimum neci dabat, quam-
 vis, cum adhuc iniquiore fortuna preme-
 retur, præclaris ab eo obsequiis adjutus
 fuisset. Præterea manus etiam suas oc-
 cto suorum Nepotum sanguine foedare
 non erubuit, totidemque Belli Præfectos,
 quos *Bassas* vocant, licet sibi variis in e-
 ventibus fidelissimos, occidi jussit. Erat
 tamen hic Sultanus animo fortis, labo-
 rum impatiens, sobrius, liberalis, atque
 in Christianos usque adeo benignus, ut
 nonnulla eis templa aperiret, quæ Pater
 ejus clausa tenuerat.

*Turco-
 Græcial. I.
 Paul. i. Jov.
 hist. 14.*

§. LIV.

Floridæ inventio.

*Ortel. in
 Theat. orb.
 terr.*

*De Laët. hist.
 du nouv.
 monde.*

De Thou l. 44

*Urbain. Cal-
 vet. du nouv.
 mond. l. 2 c. 1.*

Sub idem tempus terra *Florida*, quæ A-
 mericæ Septentrionalis Sinu Mexica-
 no coercetur, Duce Joanne Pontio Le-
 gionensi Castellano primum inventa a
 plerisque creditur. Hanc inde Floridam
 esse nuncupatam nonnulli autumant,
 eo quod detecta primum fuerit ipsa Pal-
 marum die, quam Hispani vulgo *Pascha*
Floridum appellant. Equidem Urbanus
 Calvetus in suis de Novo Orbe relatio-
 nibus, quas ex Hieronymi Benzoni Mediolanensis Historia de *India Occidentali*

& *America*, Italice scripta collegit, testa- Sæcul. XVI
 tur, quod jam ab Anno Domini millesi- A.C. 1513.
 mo quadringentesimo nonagesimo sexto
 quidam Sebastianus Gabottus patria Ve-
 netus sub auspiciis Henrici VII. Angliæ
 Regis per Occidentales plagas iter inda-
 gasset, ut in Oceanum procurrere posset;
 cum vero Gabottus sua navigatione
 nonnisi hanc regionem observasset, Flo-
 ridæ inventio Joanni Pontio quodammo-
 do debetur, hic enim a Castellæ Rege
 eo mittebatur; ut colonias ibidem collo-
 caret; ubi tamen, cum vix littus attin-
 geret, ab incolis invasus mox necatus
 fuit.

§. LV.

*Julii II. consilium de bello sacro, at-
 que Hispanis ex Italia pro-
 pellendis.*

Interim Julius nonnisi grandia concipe- *Marian. l. 30*
 re solitus, bellum sacrum in Turcas *n. 58.*
 movere animo constituit; cuncta etiam
 pio ejus consilio adspirare credebantur;
 quippe Principes Christiani, cum a Bar-
 baris victricia arma in Asiam, Africam,
 imo & in ipsam Europam latius protendi
 cernerent, non minus attoniti, quam gra-
 vi metu perculsi hærebant; unde ad
 bellum Turcis inferendum admodum pro-
 pensis videbantur. Accessit etiam op-
 portu-

G g 2

portu-

Sæcul. XVI. portune satis dissensio, quæ Bajazethis
A.C. 1513. filios in diversa scindebat studia, ac prope in belli civilis turbas exardescere timebatur. Hac temporis rerumque opportunitate usus Pontifex, ubique terrarum sollicitè denunciabat, sibi nil ardentius in votis esse, quam ut omnium Christianorum Principum animos ad tam gloriosum opus conjungeret: Id quoque communi studio omnes, qui pie, religioseque sentiebant, exoptabant, quamvis non pauci de summi Pontificis integritate minus persuasi, illum studiose ejusmodi consilia excogitasse criminarentur, ut Ferraria obsessa demumque capta Hispanos, prout olim decreverat, ex Italia pellere valeret.

Unde Helvetiorum opera utendum ratus, hujus gentis Viros saltem ad triginta millia in Neapolis regnum immittere voluit, quin tamen prospiceret, abs dubio futurum, ut hi occupata semel Neapoli, nullis armis coerceri valerent, quominus pinguioris prædæ cupidine stimulati, ipsi Ecclesiæ statui nequidem parcerent, sed reliquam quoque Italiæ partem pari aviditate, qua nuperrime a Mediolani Ducatu per summam vim pecunias extorsissent, spoliare aggressuri essent. Ast unice Papæ consiliis obstare videbatur armorum societas, quam Hispani cum Helvetiis, auctore ipso Julio, inierant;

ierant; hujus quoque terminum, cum Sæcul. XVI. A C. 1512.
 propediem exiret, Legatus, quem Fer-
 dinandus apud Helvetiorum Pagos,
 quos *Cantones* vocant, habebat, ul-
 terius protrahi, vehementer urgebat,
 jamque hanc in rem ingentem auri vim
 elargiebatur; ast unica Pontificis episto-
 la legati operam elusit: Julius enim,
 presso animi sui proposito, Helvetiorum
 Magistratibus hæc exponebat: si vos fœ-
 dus cum Rege Catholico innovare aggre-
 dimini, Veneti abs dubio nova fœdera
 cum Gallis inibunt, hinc potius mihi
 gratissimum foret, si Hispanicæ societatis
 pacta renovare, aliquamdiu differre vel-
 letis. Helvetii Papæ votis lubenti ani-
 mo cedebant, forte persuasi, quod ipsis
 Papæ magis quam Hispanorum amicitia
 foret proficua.

§. LVI.

*Rex Catholicus de Papæ consiliis cer-
 tior factus.*

Nec minus Rex Catholicus Papæ, Cæ-
 sarisque potentiam reformidabat, &
 quamvis, si Galliarum Rex Mediolani Du-
 catum recuperaturus esset, rebus suis pa-
 rum consultum nosset, non tamen Fran-
 ciæ Monarchiam usque adeo attenuari
 optabat, ut illa Julio ac Maximiliano
 G g 3 haud

Sæcul. XVI haud ultra timorem incutere posset, sat
A.C. 1513. enim sibi compertum habebat, quod Cæsar, si a Gallorum armis penitus tutus foret, Castellæ administrationem non sine gravi Ferdinandi molestia turbare, ipsumque Neapolis Regnum invadere valeret. His accessit, quod Julius, cum omni periculo defunctus esset, haud amplius Hispanorum copiis pecunias singulis mensibus promissas suppeditaret, spe fretus, eas hoc pacto brevi recessuras, proin Italiam ab omni extero milite adeo purgandam, ut nonnisi Helvetiorum copiae superessent, quas tamen dummodo eis larga manu pecunias profunderet, facili negotio in patriam remittere posset, eo quod nonnisi quæstus spe animatæ stipendia mererentur. Ast Arragoniæ Rex, cum acrioris ingenii Princeps esset, brevi Papæ consilia assequebatur; quapropter, ut partum Navarræ regnum tueri posset, pacem cum Gallis inire, e re sua fore arbitrabatur, eo potissimum nomine, quod, si forte illi secunda vice Pyrenæos alpes superare tentaturi essent, se minime parem cerneret, ut ad repellendos eorum insultus cum numerose milite bellum auspicari valeret.

§. LVII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1513.*Ferdinandi Oratores cum Ludovico XII. de fœdere acturi.*

Hanc in rem Ferdinandus duos Fratres Minores in Franciam ablegavit, amplissima instructos potestate. Horum opera ideo utebatur, ut non modo ejus consilia magis secreta essent, sed ut etiam, si forte hi Deputati non audirentur, ipse liberum sese excusandi prætextum in promptu haberet: verum Ludovicus XII. hosce Oratores perbenigne excepit, ratus, se hac via Mediolani Ducatum facillius recuperaturum, quapropter unius anni inducias pepigit, vi quarum neuter horum Regum toto illo tempore alteri damnum inferret, aut suos adversus alterum ad pugnam trans Alpes concitaret. His induciis Ferdinandus non modo Navarram ab hostium metu liberabat, sed semetipsum in regni hujus possessione firmandi spacium nanciscebatur; Rex vero Ludovicus pro parte sua haud exiguam finium suorum extensionem ab incursionum periculis eximebat, atque post unius duataxat anni moram supplicias, quas Joanni Albreto Fœderato suo debebat, ferendi opportunitatem assequabatur, quin propterea cum suo damno vel minimam ditionem cedere compelleretur.

Sæcul. XVI. retur. Ceterum ambo Reges hoc fœ-
A.C. 1513. dus mutuo paciscebantur, inscio penitus
 Pontifice, qui post sancitam hancce socie-
 tatem haud diu vita superstes fuit.

§. LVIII.

*Ludovicus Principes fœderatos alie-
 nare conatur.*

*Hist. de la
 Ligue de
 Cambray t. 2
 l. 4. p. 242. Et
 fuiv.*

Jam antea Ludovicus Galliarum Rex
 consilia agitabat, quibus singulos Prin-
 cipes fœderatos ab armorum societate
 averteret: Præprimis enim Henricum
 VIII. Angliæ Regem ad id sollicitabat,
 qui tamen ejus Legatum nequidem au-
 dire dignabatur. Rex repulsam passus
 Papam convenit, sed nec ab illo benignius
 accepit responsum, & quamvis Anna
 de Britannia, quæ Sacræ Sedi continuo
 studio addicta videbatur, literis suo chi-
 rographo exarratis Julium ad pacis con-
 silia inclinare tentasset, is tamen flecti ne-
 scius, ægre Nannetensi Cardinali, qui
 Papæ mentem explorare jubebatur, bre-
 vis colloquii copiam concessit: Unde Rex
 ad Helvetios sese convertere cogebatur,
 ad quos Joannem Jacobum Trivultium,
 & Ludovicum Trimollium decrevit, qui
 cum eis de novo fœdere agerent. Hi,
 ut de successu certiores essent, ingentem
 eis pecuniarum summam offerebant, quam
 Mensarii acceptis literis argentariis nul-
 la

la mora numerare tenebantur; nihilo-
minus ambo hi Principes oleum & ope-
ram perdiderunt; Jam enim Maximilia-
nus Sfortia prior Helvetios sibi devove-
rat; is enim illis quadraginta aureorum
millia quotannis per viginti quinque o-
mnino annos solvere, mox vero centum
quingenta millia pendere spondebat,
quamprimum illi ex munitioribus Duca-
tus locis militem suum educturi essent.

Sæcul. XVI.

A. C. 1513.

§. LIX.

*Cæsar a Gallo incassum ad concordiam
sollicitatus.*

Ergo Cæsaris quoque mentem, sensum-
que explorare oportebat, cum vero
nuperrime a Gallorum foedere defecis-
set, recta eum convenire Rex minime
audebat; quapropter exploratæ fidei
virum, nobilem Sanseverinatis Cardina-
lis Cubicularium ad Episcopum Gurcen-
sem allegabat. Hic vero Vicentiam a
Venetis necdum restitutam indignatus,
hunc Nobilem quidem excepit, quatuor
tamen condiciones eidem præscripsit. I.
Gallus sua consilia, viresque Cæsari jun-
gat, ut ambo hi Principes urbes sibi ex
Cameracensis foederis legibus debitas
recuperare possent, adjecta tamen hac
clausula, ut illi parti, quæ Cæsari debe-
tur, Cremonensis ditio unacum urbibus

G g 5

Abduæ

Secul. XVI. A.C. 1513. Abduæ flumini impositis adjiceretur. II. Carolus Archidux Renatam de Francia secundo genitam Ludovici XII. filiam sibi connubio jungat, eidemque Mediolanensis Ducatus, quamprimum recuperabitur, dotis nomine tradatur. III. Si Ludovico Regi nulla proles mascula nascatur, eadem Renata in Regis Christianissimi jura, quæ in Neapolis Regnum habet, succedat. IV. Denique Sponsa mox ad Cæsaris aulam deducatur. Ludovicus, postquam hic Legatus responsum retulerat, quantocius Senatores suos convocavit, qui tamen in diversas abire sententias, atque inter eos Stephanus Poncherus Senonensis Archiepiscopus exposuit, quod Cæsar non ita pridem Gallorum fœdera sprevisset, proin exiguum ab eo præsidium sperandum, ac nequidem de nova armorum societate cum illo agendum foret. Prævaluit hæc Archiepiscopi sententia, potissimum eo nomine, quod Regina Renatam Filiam suam, saltem nisi per ætatem Viro matura esset, ad Cæsarem abduci, constanter negaret.

§. LX.

De fœdere cum Venetis actum.

Guic. l. II. Soli supererant Veneti, qui primi ad faciendam cum Gallis concordiam ultro

tro sese offerebant: Unde Trivulcius Sæcul. XVI.
 Marefcallus, & Ministrorum præcipui A.C. 1513.
 summis precibus Regem urgebant, ut
 Reipublicæ consiliis acquiesceret; aje-
 bat enim firmiter in Venetis præsidium
 collocari, quam in Cæsare, eoquod hu-
 jus mutabilitas, atque animi inconstan-
 tia omnes sibi foederatos continuo suspen-
 sos teneret: Ex aduerso Sanseverinas
 Cardinalis censebat, Venetis omnino ne-
 glectis cum Maximiliano agendum esse.
 Ejus tamen sententia, quamvis cetero-
 quin auctoritate apud Gallos plurimum
 valeret, minime acceptabatur, sed serio
 postea cum Venetis agi cæptum est:
 Ceterum Papa, & Rex Catholicus ejus-
 modi consilia evertere nequicquam co-
 nabantur; aliunde vero satis perspectum
 habebant, quod Sfortia, Venetis arma
 sua Franciæ jungentibus, minime Medio-
 lani Ducatum tueri posset; hinc Re-
 gis Catholici Legatus adeo dextre Gur-
 censis Episcopi animum inclinabat, ut
 Cæsar, suadente ipso Præsule, juribus
 suis cederet, Venetisque Vicentiam re-
 linqueret, cujus rei faustum nuncium i-
 pse Gurcensis Venetias detulit; verum
 Respublica ardentiori ejus amicitiam ex-
 quirentium studio elatior, etiam Vero-
 nam sibi reddi postulavit, quinimo Ve-
 netis fidem Rex Catholicus fecit,
 se auctorem fore, ut Cæsar in hæc pa-
 sta

Sæcul. XV.
A.C. 1513.

ta consentiret, eo quod ipse eidem ducenta quinquaginta aureorum millia persoliturum spondisset. Hæc omnia in scio Pontifice gesta fuere, ac forte Cæsarem inter & Venetos pacis negotium omnino confectum fuisset, ea tamen lege, ut iis Vicentia relinqueretur, ac Verona redderetur, obstitit tamen inopina mors, quæ Julium Papam vivis eripuit.

§. LXI.

Sessio V. Concilii Lateranensis.

Eadem die, ad quam Julius Papa quintam Lateranensis Concilii Sessionem indixerat, decima sexta Februarii celebrata est, cui tamen summus Pontifex morbo præpeditus non interfuit, quapropter Cardinalis S. Georgii Episcopus Ostiensis ejusdem vices supplevit. Fuit celebrata Missa de Spiritu Sancto per Alphonsum Patriarcham Antiochenum in Altari, quod propter Pontificis absentiam mutatum est, ita, ut celebrans faciem ad Concilii Patres versam haberet. Postea Oratione per Siphontinum Neapolitani Regni Archiepiscopum habita, Cardinalis Ostiensis accessit ad Aram, sedensque ante illam, Pontificali habitu ornatus, dorsum ad Altare, vultumque ad Concilii Patres tenens incepit hymnum, *Veni Creator*
&c.

*Collect. Conc.
Labb. to. 14.
p. 110. & seq.
Extat. in
alt. Conc.
Later. Sess.
V. t. 4. p. 2.
p. 47. edit.
Binii.*

&c. Et Litanis, aliisque precibus de mo-
 re recitatis, sacrum Evangelium decan-
 tabatur, quod incipit, ab hisce verbis:
*Amen amen dico vobis, qui non intrat per
 ostium &c. Joan. cap. 10. v. 1.* Solemni-
 bus hisce peractis illius, qui Lucensis
 Reipublicæ vices agebat, mandatum præ-
 legebatur, quo nomine hujus Reipubli-
 cæ Nobili de Francischis in Synodo agen-
 di Facultas dabatur. *Eo perlecto Epis-*
 copus Cumanus consensu suggestu Ju-
 lii Constitutionem Anno millesimo quin-
 gentesimo quinto Mense Februario con-
 ditam confirmatamque recitavit, in qua
 electio Pontificis simoniace facta penitus
 nulla, & Cardinales Papam hoc modo e-
 ligentes suis dignitatibus ac beneficiis
 privati declarantur. Huic tamen Con-
 stitutioni quinque oblectabantur Episco-
 pi, quos inter nonnulli illam temperari,
 alii eam, ubi obscurior videretur, expla-
 nari postulabant. Denique Ecclesiæ Gal-
 licanæ Præsules rursus coram Synodo
 comparere monebantur, ut circa Prag-
 maticæ Sanctionis negotium responsa
 sua darent. Post hæc Sessio sequens ad
 undecimam Aprilis diem indicta est, qua
 tamen Pontifex jamjam mortalitatem
 exuerat.

Sæcul. XVI
 A. C. 1513

Raynald. ad
 ann. 1513.
 n. 5.

Labb. l. c. p.
 110. Et seq.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

§. LXII.

Julii II. Pontificis obitus.

Guicc. lib. II. Interea summus Pontifex gravi senio,
Bembo hist. morborumque concursu jamjam debi-
Ven. l. 12. litatus, accedentibus curis, continisque,
Raynald. l. c. quas Italicarum rerum vicissitudo exci-
n. 7. & 8. taverat, anxietatibus, lethalem morbum
Ferron. in contraxerat. Primo quidem feбри, quæ
Lud. XII. quidem remissior credebatur, correptus
Vittorell. in erat, cum vero septuaginta, & amplius
addit. Ciac. annos numeraret, Medici de ejus vita a-
Paris de ctum esse censebant, passimque rumor
Grass. to. 3. serpebat, de Pontificis salute conclama-
p. 964. tum esse; ipse etiam Papa ad extremam
Papyr. Mass. luctam sese accingere haud morabatur,
in Jul. atque exiguas vitæ suæ reliquias, nonni-
si illis negotiis, quæ cunctationem non
reciperent, expediendis sacrabat, demum
Cardinales ad suum cubile convocatos
admonebat, ut Successorem in Conclavi,
non vero in Synodo deligerent; Pisanis
quoque Cardinalibus illatæ injuriæ cul-
pam condonabat, ita tamen, ut electioni
interesse non possent, ut *Julianus Ruve-*
reus, inquebat Papa, *Cardinalibus in-*
dulgeo schismaticis, ut Julius vero Papa,
caputque Ecclesiæ justitiæ rationem haben-
dam judico. Tum vero sibi sanguine jun-
ctorum memoriam ferme exuisse videba-
tur, ac duntaxat a Purpuratis sibi fidem
dari

Sæcul. XVI
A.C 1513.

dari supplicabat, ut Urbinati Duci ejus Nepoti Pisaurum beneficiario nomine concessum, suo quoque consensu affererent. Ceterum cum Matrona quædam nomine Felix Ruverea a Pontifice morti proximo purpuram Guidoni de Montfalcone uterino ejus fratri concedi supplex rogaret, petenti repulsam omnino dedit Julius, ac severo vultu respondens dixit, *Guido tanto officio haud dignus est.* Demum faciem ad alteram lecti partem avertens, ea nocte, quæ inter diem vigesimam & vigesimam primam intercedit, animam Creatori suo reddidit, anno ætatis suæ septuagesimo. Sedit annos novem, menses tres, dies viginti & unum. Mortem ejus nemo lugere videbatur, nec illi quidem, quos beneficiis cumulabat, eoquod gratias quoque minus officiose effudisset (*).

Corpus

(*) Continuatori nostro lingua & aqua hæreret, si asserti sui vadem vel unicum producere compelleretur: Cum non modo apud Auctores altum de hoc sit silentium, sed etiam Raynaldus, Ciaconius, Viftorellus, Palatinus, Bzovius, Foglieta, & innumeri alii, hujus Papæ benevolentiam plurimum commendent, & ipse Guicciardinus alioquin perfereris Pontificum censor Julium pie, sancteque obisse testatur.

Sæcul. XVI.
A. C. 1513.

Corpus ejus ingenti pompa, atque magnificentia delatum, sepultumque fuit in Ecclesia S. Petri ad vincula. Ceterum metus suberat, ne eo defuncto Cardinales, quos schismaticos habebat, ex factione sua Papam eligere præsumerent, atque ex Synodi auctoritate ad se solos jus electionis, exclusis aliis, devolutum crederent, saltem tum timendi locus erat, ne illi Comitibus Pontificiis Romæ interesse prætenderent.

§. LXIII.

Parma & Placentia a Cardonna, urbesque a Ferrariensi Duce recuperatæ.

Verum inanis erat ille timor; solus enim Cardonna Neapolis Prorex Romanæ Curiae tranquillitatem turbabat; quippe seditione in Sedem Apostolicam mota Parmensem, ac Placentinam urbes occupabat, illasque quantocius Mediolanensium Ducatui rursus adjungebat. Unde status Ecclesiastici præsidariis ex utraque civitate excedentibus, cives Maximiliano Sfortiæ novo fidei sacramento sese obstrinxerunt. Dux quoque Ferrariensis cunctas urbes sibi a Julio ereptas recuperare aggrediebatur, ac quasdam copias ex singulis urbium præsidiiis educebat, ut expeditam armatorum

manum

manum contrahere posset, nec id sine Sæcul. XVI.
A.C. 1513.
prospero successu; Mutinam enim & Regium sibi subiciebat, civibus mox portas aperientibus; ast Cardonna haud ignarus, quam gravi odio Rex Catholicus in Ferrariæ Ducem exardesceret, motis interea castris, eum inde recedere compulit. Ceterum alios in Italia tumultus fuisse suscitatos haud novimus.

§. LXIV.

Cardinales conclave ingressi.

Die quarta Martii, quæ erat feria sexta, justis Pontifici de more persolutis, Strigoniensis Cardinalis Sacrum de Spiritu Sancto in Sacello S. Andreæ, quod alias Pii III. *capella* dicitur, celebravit, sermonem vero Castellimaris Episcopus habuit. Postmodum viginti quatuor Cardinales supplicantium ordine ad sacra Vaticani Palatii comitia processerunt, ea tamen die non nisi Præsulum, ceterorumque conclavis Ministrorum, & Conservatorum, urbisque Romanæ Magistratum juramenta excipiebant. Post hæc Cardinalis ærarii Romani Præses, necnon Arragonensis, & Farnesius Cardinales cuncta lustrabant cubilia, ut inde, si qui forte adessent, omnes externos, quibus comitia accedendi jus non esset, abigerent, quo facto januas

Hist. Ecclesiast. Tom. XXXII. H h oc-

Sæcul. XVI occludebant, admissio prius Adriano Car-
A.C. 1513 dinale, qui eodem tempore Romam ve-
Paul. Jov in nerat. Die Sabbati quinta Martii Sacro-
vit. Leon. X. rum Rituum Magister campanæ sonitu
 Cardinales monebat, ut Rei divinæ in
Raynald. hoc magna Capella, quam Sixtinam appel-
ann. n. 13. lant, peragendæ interessent, qua finita
 Purpurati ad postremam conclavis aulam
 recedentes de disciplina, ac bono ordine,
 qui comitorum tempore servaretur, con-
 sultabant: Interea vero Cardinalium
 Contubernales, quos in hisce comitiis
 Conclavistas appellant, in alia quadam
 aula congregati libellum supplicem con-
 ficiebant Sacro Collegio porrigendum,
 in quo privilegia alias concedi dari solita
 sibi quoque postulabant: qua-
 propter horum petita viginti duo Cardi-
 nales ad hoc Deputati discusserrunt, soli-
 dumque diem insumpserunt, aliis nego-
 tiis tum prætermisissis.

Sexta ejusdem Mensis die, quæ erat
 Dominica, Re divina de more peracta
 Cardinales Congregationem accedunt, ac
 quemdam Chirursum nomine Jacobum
 Brierres ad conclave admittunt; hunc
 enim Cardinalis Medicæus ad quemdam
 tumorem in faucibus aperiendum accer-
 siverat. (*) Vulnere curato Chirurgus
 abeun-

(*) Paulus Jovius in vita Leonis X. l. 3.
 p. 126.

abeundi veniam impense, sed incassum Sæc. XVI.
 petebat: eadem vero, necnon postera A C. 1513.
 die discussio articulorum, quos *Conclavi-*
stæ conceperant, Cardinalium curas oc-
 cupabat, demum vero rituum Magister il-
 los adesse, Thomas vero Phedra Synodi Se-
 cretarius, ut se dictante eosdem articulos
 conscriberent, jubebat: Feria autem tertia,
 die octava Martii, re divina solemniter
 peracta Comitiorum Ministri Sacellanum,
 nomine *Gabrieli*, Thomam Phedram, &
 Bartholomæum Saliceum rogarunt, ut
 libellum, qui eorum privilegia comple-
 tebatur, sacro Collegio exhiberent; quo
 perlecto Cardinales hoc scriptum ipsis
 restituebant, benignum hac super re re-
 sponsum polliciti. Paulopost Commis-
 sarii a sacro Collegio deputati iisdem Mi-
 nistris præcipiebant, ut Purpuratorum
 decisioni subscriberent; illi equidem has
 tabulas, quas suo chirographo firmabant,
 haud perlegere poterant, non tamen que-
 rendi locum habebant, eo quod eorum
 privilegia minime imminuta fuissent.
 Ceterum illi, quibus conclavis portas cu-
 stodiendi cura erat credita, ex Bullæ
 præscripto non nisi pro quovis Cardinale
 unicam pro obsonio lancem adferri per-
 mittebant.

H h 2

Die

p. 126. hunc morbum vocat, *innatum in ima*
sede abscessum.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

Die nona ejusdem Mensis feria quarta Cardinales Missa celebrata, suas quisque sedes occuparunt, cunctosque Conclavis Notarios, pluresque testes adesse jusserunt, quibus articulos nuper subscriptos prælegebant, quos cuncti, quamvis illorum nonnullis antea obluſtarentur, integra fide postmodum servare pollebantur. Ergo hac super re tabulæ conficiuntur, easque Notarii, testesque suo chirographo muniunt. His peractis Joannis Goladini epistola prælegitur, in qua sacro Collegio significatum, quod Parmenses, & Placentini Hispanorum artibus in Ducis Mediolanensis favorem seditionem conflasset; post hæc Cardinales Vespere congregati serio deliberabant, utrum Pontificis electionem publicis suffragiis fieri expediret. Præpripriis die Jovis decima Martii re sacra peracta Congregationem habebant, in qua Julii II. Constitutionem contra simoniacas Pontificum electiones prælegebant, & unanimi voto decernebant, quod singuli non nisi unicum haberent Conclavis Ministrum, ceteros vero omnes recedere juberent. Quocirca rituum sacrorum Magister adesse jussus, ex sacri Collegii mandato, cunctos in majori Sixti Sacello inclusos detinuit, ubi inter eos convenerat, ut ille, cujus Dominus in summum Pontificem eligeretur, ceteris pro cubilis spolio mille

mille quingentos aureos in singulos æ-
 quis partibus dividendos numeraret, hu- Sæcul. XV.
A.C. 1513.
 jusque pacti testimonium quidam Came-
 ræ Apostolicæ Notarius confecerat. Ita
 nempe cupiditas in rem suam studiosa
 est. (*)

Cum vero Cardinales in Sacello S.
 Nicolai suffragia colligerent, nullus toti-
 dem, quot ad Papatum sufficerent, solus
 ferebat : Cum tamen Arborreo Cardi-
 nali natione Hispano tredecim suffraga-
 rentur, non parum augebatur cetero-
 rum concurrentium sollicitudo ; hujus e-
 nim imperium nonnullis merito formi-
 dandum videbatur. Post hæc sumpto
 prandio frequenter secreta habebantur
 colloquia, non sine gravi indignatione eo-
 rum, qui Papatum appetebant ; ea e-
 nim, quæ clam agitabantur, explorare
 haud poterant. Die ad occasum incli-
 nato Cardinalis S. Georgii, & Medicæus
 in majori aula integram horam & am-
 plius conferebant, quin colloquii argu-
 mentum innotesceret, cum vero ceteri
 suspi-

(*) Ita nempe studiosa & ingeniosa est
 inveniendi libido ; plures enim ejusmodi fabu-
 las atque nugas Continuator absque teste ad-
 ducit, cum tamen ipse falsus sit, quod corru-
 ptela Cardinalis in Papam electi cubile, atque
 ædes spoliandi jam dudum emendata fuerit.

Sæcul. XVI A.C. 1513. suspicarentur, inter eos conventum esse, ut quisque alterius electionem promovere satageret, propius accesserunt, colloquium interrupturi. Ast parum ea tunc diligentia profectum; quippe illico in aula confusus quidam rumor increbuit, quo haud obscure nunciatum, plurimorum suffragia in Medicæum Cardinalem conspirare; hujus electionem impedire, cum desperarent ceteri, & ipsi eandem Medicæo primi gratulabantur, totiusque sacri Collegii suffragia in eum conspirasse gaudebant, quapropter manum ejus sacro osculo venerabantur, illumque ad cubile suum deducebant, cunctis Cardinalibus eum officiosa salutatione honorantibus.

§. LXV.

Julianus Medicæus Cardinalis in Papam electus.

Undecima ejusdem Mensis die feria sexta Cardinales Juliani Medicæi cubiculum ingressi, ibidem usque ad sacri solemnem horam permanserunt, re autem divina in Sacello S. Nicolai peracta capellæ fores occludi jusserunt ad suffragiorum scrutationem processuri, moxque schedulis suffragantium apertis Cardinalem Medicæum communi omnium voto in summum Pontificem esse electum depre-

deprehendebant: Igitur vocato protinus sacrorum rituum Magistro, aliisque Ministris Medicæus Pontificiis insignibus ornatur, sedensque in S. Petri Cathedra omnium Cardinalium obsequia accipit, quovis eorum ordine suo in novi Pontificis amplexus ruente, pedesque illius deosculante. Ceterum Medicæus Papa patre Laurentio de Medicis, & Matre Clarice Ursina natus erat, atque ab Innocentio VIII. Cardinalis anno ætatis suæ decimo quarto, ac demum trigesimo sexto summus Pontifex renunciatus est: In prima sua ætate Angelo Politiano, Demetrio Chalcondyle, & Urbano Bolzanio Institutoribus usus erat: inter familiares vero, præter alios quamplurimos Viros longe doctissimos, habuit Picum Mirandulanum, Marsilium Ficinum, Joannem Lascarem, & Christophorum Landinum. Tam ingenue ac liberaliter educatus, in scientiarum studio, atque amore Patrem suum æquabat, sibi que honori ducebat, cum literatos potenti suo præsidio fovere, ac scientiarum studia novo splendore augere posset. Nihilominus præclaræ adeo dotes nævis suis haud paucis non carebant; nam Medicæo præcipue vitio datum, quod partium studio abreptus, honorisque percupidus esset. Haud tamen diffitemur, quod suo Prædecessore minus vehementis, minusque

Sæcul. XVI.

A. C. 1513.

*Ciaccon. in**Leon. X. t. 3.**p. 390.**Labb collect.**Conc. t. 14.**p. 129.**Raynald. l. c.**n. 14.**Bembo hist.**Venet. l. 12.**Papyr. Mass.**in Leon. X.*

Secul. XVI. arrogantis indolis fuerit, ac præterea eum
A.C. 1513. majori etiam sagacitate, ac calliditate
 clarum fuisse, testantur Historici.

§. LXVI.

*Medicæus Assumpto Leonis X. nomi-
 ne coronatus.*

*Ciacon. in
 vita Leon. X.
 Spond. ad
 ann. 1513.
 n. 3.
 Att. Conc.
 p. 130.*

Recens electus Papa nomen Leonis X. sibi selegit, cum vero a nonnullis de modo, quo inaugurationis suæ solemnia celebrari vellet, interrogaretur, honores magno Principe dignos sibi deberi respondit; unde nec suorum Prædecessorum, qui alias in sedili deferebantur, morem secutus, equo vectus (*) Romam solemniter ingressus est. Trigesima post electionem die, undecima Aprilis, ipsa nimirum anniversaria die, qua anno priori in Ravennatensi prælio captus fuerat, coronatus, Basilicam S. Joannis in Laterano de more visitavit, tanta usus pompa, ut Roma in omnem magnificentiam ac splendorem effusa videretur; eam enim in solemnitatem centum aureorum millia

(*) Ciaconius & Spondanus referunt, Papam non ex arrogantiae fastu id fecisse, sed eodem equo vehi voluisse, quo a Gallis captus fuerat, ut veterem acerbitatem cumulo præsentis lætitiæ compensaret.

millia impensa fuisse dicuntur (*). Huic Sæc. XVI.
 spectaculo interesse iussit Ferrariæ Du- A.C. 1513.
 cem utpote Sedis Apostolicæ clientem
 beneficiarium, necnon Urbinatis Ducem,
 qui præterea Romanæ urbis Præfectus
 erat. Arbo, quamvis non sine metu
 comparebant; utrumque tamen Leo
 Papa perbenigne, clementerque excepit,
 necdum tamen Ferrariæ Duci suas di-
 tiones reddi iusserat, nec Urbinatem, ut
 ipse sperabat, in Pisauri Ducatus posses-
 sione firmaverat. Vix inaugurationis so-
 lemnia absolviebantur, cum Romam nun-
 cius defertur, Raphaelern Paccium Flo-
 rentiæ Archiepiscopum fatis cessisse, un-
 de defuncti Sedem Leo protinus conces-
 sit Rhodiorum Militum Commendatori
 Medicæo Patrueli suo, qui armatus ge-
 nerofo equo vehebatur, atque Pontifi-
 cium præferens vexillum Papam comi-
 tabatur.

§. LXVII.

*Carvajalus & Sanseverinas Car-
 dinales Romam contem-
 dunt.*

*His ita peractis inexpectata felicitas Marian.
 H h 5 Leo-^{l. 30. n. 82.}*

(*) Addunt Scriptores: *Facta etiam per
 vias ad populum & pauperes ampla pecunia-
 rum largitione.*

Sæcul. XVI. Leonem Papam schismatis metu libera-
 A. C. 1513. bat; quippe Carvajalus & Sanseverinas
 Lugduni hærentes, cum factionem suam
 Petri. de Angler. ep. indies decrefcere cernerent, eamque diu-
 515. & 516. tius confervari poffe desperarent, tandem
 Spond. ad itinere fele accinxerunt, ut in Italiam re-
 an. 1513. n. 4. verfi, ipfum quoque conclave ingrederen-
 Guicc. l. 11. tur; ad hæc enim comitia ipsis etiam
 Paris de Graffis to. 4. jus competere autumabant, imo fe om-
 p. 47. nino admitti eo firmius fperabant, quo
 potentius Proſperi Columnæ auctoritate
 ſuffulti erant, qui & ipſe proxime Ro-
 mam venire parabat, eo confilio, ut jux-
 ta arbitrium ſuum univerſæ Eccleſiæ
 ſucceſſorem eligeret; verum ejus diſces-
 ſum inhibuit Neapolis Prorex, veritus,
 ne novas Romæ turbas ſuo adventu ſu-
 ſcitaret: Ambo tamen Cardinales na-
 vibus Maſſiliæ conſenſis, maritimo iti-
 nere ad Liguriæ oram deferebantur. Ex-
 ſcenſione facta, milites omni ex parte
 tranſitum obſidentes, hoſce Purpuratos
 ceperunt, eosque Piſas abduxerunt, ubi
 Julius de Medicis neo-electum Pontifi-
 cem, cujus Patruelis erat, de horum ad-
 ventu protinus certioſorem reddidit. Jus-
 ſit Papa illos Viterbium, ac demum ad
 Civitatem veterem deduci, ubi etiam
 cuſtodix dabantur, donec cauſa peni-
 tius diſcuſſa, tandem de eorum fato de-
 cerneretur. Comitabatur illos Solerius,
 cui æque ac ambobus Purpuratis inſignes
 hono-

honorum testificationes exhibebantur, soli tamen Cardinales capti detinebantur.

ſæcul. XVI.

A. C. 1513.

§. LXVIII.

Dubia Pontificis mens in præſenti rerum viciffitudine.

Ceterum incertitudo, cuinam parti Leo in præſenti Italicarum rerum ſtatu ſua ſtudia addicturus eſſet, omnium expectationem ſuſpenſam tenebat. Nec hac in re præceps conſilio erat Pontifex; hinc enim moleſtus ei accidebat Gallorum in Italiam reditus; illinc ſuſpectam habebat Regis Catholici fidem, & quamvis Medicæorum familiam Florentino imperio reſtitutam Hiſpanis deberet, minus tamen propenſum in eos fovebat animum, haud immemor Parmenſis ac Placentinæ ſeditionis, quam Neapolis Prorex concitabat. Nec firmum quoque præſidium ſibi in Helvetiis reſiſtum exiſtimabat Pontifex, eoquod ipſi non niſi mercede conducti arma caperent, moxque, ſi præſtituto die ſtipendium deficeret, ſeditionem moverent. Præterea Maximilianus Sfortia non modo viribus impar erat, ſed etiam Sedi Apoſtolicæ ſemper oneri fore timebatur. Cæſarem quidem amicum habebat, cujus tamen amicitia ob mentis inconstantiam minus firma

firma

Sæc. XVI.
A.C. 1513.

firma, imo & periculosa videbatur. Denique Veneti non ita pridem cum Ludovico XII. foedus inibant, proin Papa, nisi Gallis accederet, se eorum ope frustratum iri cernebat. Hæc anxia secum consilia agitabat Pontifex.

§. LXIX.

Fœdus Gallos inter & Venetos firmatum.

Mortuo Julio Pontifice, Venetorum Respublica cum Gallis foedus firmabat; quippe Andreas Grittus, & Bartholomæus Livianus a Gallis dimissi recuperatæ libertatis suæ beneficium grato animo testari studebant, ac propterea Regi Christianissimo sua devovebant obsequia, moxque Regem inter & Rempublicam pacem conciliare nitebantur, ut hoc pacto Cæsaris consilia everterent, simulque Gallorum commoda promoverent. Obstabant unice Cremonenses, ceteræque urbes ad Abduæ fluminis oram sitæ, quæ ex foederis legibus Mediolanensi Ducatui accrescere deberent, quamvis huic conjunctioni Veneti vehementer obluctarentur; ast demum & ipsi, Gritto auctore, huic articulo, qui unicum reconciliationis obstaculum erat, cedebant, ut eo facto Grittus plene votis damnatus esset; Veneti enim juribus suis in Cremonensem

sem ditionem, & Abduæ litora renun-
 ciarunt, Senatu etiam annuente, ut Lu-
 dovicus hæreditarium Avi sui imperium
 amplis, iisdemque finibus, prout
 illud olim Vicecomites possederant, ex-
 tensum recuperaret, ea tamen lege, ut
 recepto Ducatu mox copias suas Venetis
 jungeret, & sic ditiones mari vicinæ ad
 eundem, in quo ante Cameracense foedus
 erant, statum reducerentur.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1513.

§. LXX.

Fœderis Articuli.

Fœderis hujus articuli sequentia com-
 plectebantur capita, vi quorum I.
 Cuncta Venetis erepta restituantur, ei-
 demque Reipublicæ omnia, quæ ante
 belli auspicia possederat, integre reddan-
 tur, excepta Cremona, & Abduæ urbi-
 bus, quæ Gallis relictæ Mediolanensi Du-
 catui, a quo distrahebantur, denuo jun-
 gantur. II. Cum Bellum sat cruentum
 instaret, quo Galli Mediolani Ducatum,
 & Veneti urbes sibi ereptas recuperarent,
 ad augendas belli vires Respublica octin-
 gentos Lancearios, mille equites leviter
 armatos, peditumque decem millia, du-
 ctore Bartholomæo Liviano suppeditet,
 Rex vero Christianissimus mille quingen-
 tos lancearios, ac pedestris militiæ decem
 millia, quibus Robertus de Marca præ-
 sit,

Sæcul. XVI. fit, submittere cogatur. III. Supremum
 A.C. 1513. totius exercitus imperium sit penes Tri-
 molium, cui ab imperio secundus subsit
 Joannes Jacobus Trivulcius, eoquod ipse
 Italicarum rerum, totiusque Regionis
 peritissimus esset, verum crebra erat disce-
 ptatio de sumptibus, pro obsidione Vero-
 nensis urbis, quam Cæsar occupabat, im-
 pendendis. Ast Ludovicus, ut conten-
 tionem dirimeret, scripto fidem suam ob-
 strinxit, quod solus in se hujus obsidionis
 sumptus suscipere, necnon cuncta Gallis
 urbem obsidentibus ad victum necessaria
 subministrare velit, dummodo Veneti me-
 diam expensarum partem ferrent, His
 ita conclusis foedus utrinque firmatur,
 & Grittus, cui soli redditæ concordie
 gloria cedebat, recuperata libertate Le-
 gati munere functus, in Galliis permanfit.

§. LXXI.

*Sessiois sextæ prorogatio per Consti-
 tutionem Leonis X. indicta.*

Equidem Julius II. qui ante obitum su-
 um quintam Concilii Lateranensis
 Sessionem celebrabat, sextam ad unde-
 cimam Aprilis diem anni supra millesi-
 mum quingentesimi decimi tertii indixe-
 rat: Leo tamen Pontifex, qui hoc tem-
 poris intervallo Julio successerat, Sessio-
 nem præfixa die habere præpediebatur,
 unde

*Labb. Conc.
 Collect. t. 4.
 p 150. & seq.
 Raynald. hoc
 an. n. 18.*

unde eandem ad vigesimam septimam Sæcul. XVI.
 ejusdem mensis distulit, ac hujus dilationis A. C. 1513.
 literis decima Aprilis datis hæc exposuit;

„ Ad sanctæ Romanæ Universalis Eccle-
 „ siæ regimen, meritis quamquam im-
 „ paribus, divina tamen dispositione vo-
 „ cati fuimus, illud vero præprimis de-
 „ sideramus, ut iis, quæ ad Ecclesiæ
 „ unitatem, & exaltationem, ac fide-
 „ lem omnium profectum spectare viden-
 „ tur, omni conatu, totisque viribus sa-
 „ lubriter incumbere valeamus. Cum
 „ itaque felicis recordationis Julius Pa-
 „ pa II. meus Prædecessor, ut status præ-
 „ dictæ Ecclesiæ in melius reformaretur,
 „ sacrum ac generale Lateranense Con-
 „ cilium de venerabilium fratrum Cardi-
 „ nalium, de quorum numero tunc &
 „ ipse eram, consilio & assensu convo-
 „ caverit: illud vero, eo, sicut Deo pla-
 „ cuit, rebus humanis erepto, profe-
 „ qui haud potuerit. „ Nos, prosequi-
 „ tur Pontifex, qui etiam tunc Concilium præ-
 „ fatum celebrari summopere cupiebamus, il-
 „ lius Successores effecti, non minus cordi te-
 „ nemus dicti Concilii celebrationem usque ad
 „ perfectionem caussarum, propter quas indi-
 „ ctum fuit, continuare, atque ad finem per-
 „ ducere: Cum vero tertio Idus præsentis men-
 „ sis solemnis processio assumptionis nostræ jux-
 „ ta morem Prædecessorum nostrorum fiet, sex-
 „ tam Sessionem prorogamus, illamque ipso
 die

Sæcul. XVI. *die quinto Kalendas mensis hujusmodi, seu*
 A.C. 1513. *vigesima septima Aprilis, faciendam indi-*
cimus. Demum loquitur Pontifex de San-
 ctione Pragmatica, atque Ecclesiæ Gal-
 licanæ Prælatos ad Synodum venire ju-
 bet, ut rationes suas afferrent, ob quas
 Sanctiōnem nullam & invalidam decla-
 rari, atque abrogari renuerent.

§. LXXII.

Sessio sexta Concilii Lateranensis.

Lab. l. c. p. *31. Et seq.* Igitur præstituta die Sessio celebratur,
 cui summus Pontifex Pontificio orna-
 tu insignis interfuit, eumque comitaban-
 tur cuncti Cardinales, Patriarchæ, Ar-
 chiepiscopi, Episcopi, Abbates, mitras
 portantes, plures Duces, Barones, ac
 Nobiles Romani, quibuscum ex Basilica
 sancti Petri ad Ecclesiam S. Joannis in
 Laterano processit, ac Sessioni, quæ fe-
 ria quarta vigesima septima Aprilis habi-
 ta est, ipse præfuit, ubi sacris operatus
 est Cardinalis Vulturnanus Episcopus Sa-
 binensis, ac sermonem declamavit Simon
 Bengnio Modrusiensis Episcopus, quam
 orationem Pater Labbeus suæ Concilio-
 rum collectioni inseruit. His peractis Al-
 phonsus Cardinalis S. Joannis Evangeli-
 um cantavit, quod incipit: *Cum esset se-*
ro die illa una Sabbatorum &c. Posthæc
 summus Pontifex Hymnum de Spiritu
 sancto

sancto ipse præcinebat, ac prolixius ad Sæcul. XVI.
 Synodi Patres perorans, ipsos hortaba- A. C. 1513.
 tur, ut sedulo Reipublicæ Christianæ bo-
 num promoverent, dicebatque, quod
 Concilium prosequi tam diu intenderet,
 donec fiat universalis, ac solida concordia
 & pax inter Christianos. Finita ejus ora-
 tione Jacobus Salviatus Reipublicæ Flo-
 rentinæ Orator mandatum obtulit, quo
 eidem nomine Reipublicæ Synodo inter-
 esse concedebatur, hasque literas Tho-
 mas Phedra alta voce prælegit. Demum
 Marius de Peruscis *monitorium*, seu Bul-
 lam Julii II. contra Pragmaticæ fautores
 denuo recitavit, ac Gallos in hac causa
 contumaces citari postulavit, cui tamen
 Pontifex nullum dedit responsum, Præ-
 latos Franciæ paterna potius clementia
 ad officium flectere, quam severitate fran-
 gere constituens. Demum exclusis omni-
 bus, quibus nullum in Synodo suffragan-
 di jus erat, Regiensis Archiepiscopus Pa-
 pæ Bullam prælegit, qua Synodum, ac
 in ea hucusque gesta approbat, illiusque
 continuationem ardentem exoptat. Data
 est hæc Bulla quinto Kalendas Maji, seu
 vigesima septima Aprilis. Hac perlecta
 idem Archiepiscopus petiit, an ea, quæ
 in illa continerentur, placerent, & respon-
 dentibus cunctis *Placent*, ad vigesimam ter-
 tiam Maji Sessio septima indicta est, quæ ta-
 men ad decimam septimam Junii diem pro-
Hist. Eccles. Tom. XXXII. I i roga-

Sacul. XVI. **A.C. 1513.** rogabatur, edita hanc in rem Bulla die vigesima Maji; præstolabantur enim Patres adventum Legatorum Sigismundi Poloniæ Regis. Posthæc præter Cardinales quidam nominabantur Prælati scientiarum laude conspicui, qui de opportunis, quibus negotia proxime proponenda feliciter terminari possent, mediis præsentate summo Pontifice suas edicerent sententias. Acceptabantur quoque Brixienfis, Conimbricensis, Viterbiensis, & Misnienfis Episcoporum mandata, vi quorum Procuratoribus suo nomine Synodo assistendi potestatem dabant: die autem tertia Junii Prælati in tres classes dividebantur, in quarum prima ageretur de iis, quæ spectant ad pacem inter Christianos Principes componendam, necnon ad extirpationem schismatis; in secunda tractarentur ea, quæ fidem concernunt: in tertia demum, quæ respiciunt correctionem morum, & Pragmaticæ sanctionis abolendæ media. Horum Deputatorum nomina in actis Concilii leguntur, cunctaque hæc puncta in sequentibus Sessionibus expedita fuere.

§. LXXIII.

*Ludovicus XII. Mediolani Ducatum
ipsum recuperare statuit.*

Ann. 1. 10. Interea Ludovicus Galliarum Rex fœderis nuper cum Venetis sanciti fiducia erectus,

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

erectus, ipse inter primas agminis sui legiones Alpes superare, animo constituit. Opportune etiam accepit nuncium, Mediolanenses, qui primo Maximilianum Sfortiam ambabus ulnis exceperant, jam regiminis sui pertæsos esse, cum ab Helvetiis, atque Hispanis durius habiti, omnibusque bonis jamjam exspoliati, adhuc tamen acerbè vexarentur, ac insuper Helveticæ genti vectigales fierent. Præterea sub idem tempus Regem clam adiebant Mediolanensium Deputati, significantes, cives ultro urbis portas aperturos, si cum valido milite, vel Rex ipse vel ipsius nomine inclytus quidam Bellidux prompte accurreret. Ludovicus moræ impatiens, e vestigio Lugduno, ubi tum agebat, movisset, Alpesque superasset, nisi edoctus fuisset, Henricum Angliæ Regem a Fœderatis Principibus in suscepto belli proposito adversus Gallos omni ope & opera firmari, spemque potentissimi auxilii eidem factam esse, hacque super re supremum Angliæ Senatam fuisse convocatum, atque eum pacis, quam Henricus VII. Regno procurasset, tædio affectum, nil ardentius, quam bellum exoptare, jamque Henrico VIII. admodum numerosa pecuniarum subsidia fuisse concessa.

Sæcul. XVI.

A.C. 1513.

§. LXXIV.

Rex a proposito deterritus, eo Trivulcium & Trimollium decernit.

*Marian. lib.
30. n. 88.*

Accepto hoc nuncio Rex Christianissimus Regnum suum tot, tamque potentibus inimicis expositum deserere, inconsultum censebat, quamvis enim Fœderatorum exercitus non nisi quinto, aut sexto mense omnino instructum iri crederetur, nihilominus temerarium fuisset, expeditionem inchoare, quam intra hujus intervalli angustias absolvi posse, incertum erat. Aliunde Stephanus Poncherus Senonensis Archiepiscopus, qui in Regis gratia Cardinali de Ambasia successerat, sapienti consilio Ludovico exposuit, quod hostem adeo impotentem, qualis esset Maximilianus Sfortia, debellare, eique Ducatum Mediolanensem eripere, tanto Heroe minus dignum: magis autem gloriosum foret Normanniam tueri, quam Henricus VIII. proximo vere sese invasurum jactitaret. Hæc rationum momenta Ludovicum expugnabant.

§. LXXV.

Trimollius cum exercitu suo in Mediolanensi Ducatu.

Trivulcius, qui in Mediolanensi Ducatu pingua possidebat prædia, impor-

portunius Regem urgebat, ut validum Sæcul. XVI. A.C. 1513.
 eo exercitum mitteret. Jamjam præfesti-
 nus non modo Lovanii Equitem, qui Me-
 diolanensi castro præerat, sed & Herbe- Herbonvillea
 villam Cremonæ Præfectum, ceteros-
 que urbium, quæ adhucdum Gallis pare-
 bant, Gubernatores certiores reddidit,
 brevi se illis opem laturum. Ipfus quo-
 que, ut cuncta ad proximam expeditio-
 nem necessaria disponeret, aliquamdiu
 Taurini commoratus, cum copiis suis
 Astam ingrediebatur, demum mense Apri-
 li prope Mediolanensium ditionem castra
 locabat, supremum ibidem Gallici exer-
 citus Ducem præstolaturus. Interea cum Guicci. l. I.
 Ludovicus Trimolium selegisset: hic tan-
 quam secundum imperii locum trans Al-
 pes a Rege tenens, castris sine ulla mora
 motis in Italiam contendit, spe facta, ex-
 ercitus sui numerum exeunte Aprili faci-
 le ascensurum ad mille quingentos cata-
 phractos, octingentos levioris armaturæ
 equites, octo Germanorum millia in di-
 versas legiones distributa, præter incly-
 tum illud, quod nigrum vocant, ejusdem
 nationis agmen sex peditum millibus
 validum, quod Geldriæ Dux ex Gallo-
 rum stipendiis contraxerat.

Sæcul. XVI.
A C 1513.

§. LXXVI.

Bartholomæus Livianus Veneti exercitus Dux.

Memoravimus, quod Bartholomæus Livianus, tum legionis Magister, in Agniadellano prælio captus fuisset, nec alio, quam foederis, quod Francia nuper cum Venetis inierat, lytro libertatem suam redemisset. Nunc vero idem ipse, cum Venetos in Ducis supremi selectu dubios hæerere comperiret, mox cursoriis equis Segusium in Pedemontio situm proficiscitur, ubi sua Venetis servitia oblaturus substitit. Ergo Senatui libellum apologeticum tradit, quo comprobare nititur, quod Agniadellanæ cladis causa haud alia exstitisset, quam Petiliani Comititis, cujus vicarius fuisset, cunctatio, qua opportuno tempore sibi suppetias mittere neglexisset, nec suis debite succurrisset. Primo equidem Senatores Liviani apologiæ parum favebant, eundem Petiliani mortem, cum ipse haud ultra sese tueri posset, in rem suam vertere arbitrati. Ast Grittus non ita pridem Venetias delatus, Liviani defensionem in se suscepit, tantaque dexteritate Senatorum animos ad sua vota inclinavit, ut Liviano summum exercitus imperium deferretur, illudque gerere juberetur nuntio,

*Bembo hist.
Venet.*

tio hanc in rem Segusium misso, quo ^{Sæcul. XVI.} accepto Livianus mox inde profectus, ^{A. C. 1513.} eadem, qua prius Petilianus valebat, auctoritate Reipublicæ exercitum ducens, suis copiis Mincium trajicere præcipiebat, tam prospero consilii successu, ut Vallegium, & Piscaria, quæ erant urbes Germanorum præfidiis munitæ, missis ad eum civibus ultro deditionem facerent, quamvis illas obsidere minime pararet.

§. LXXVII.

Liviani victoriæ in Mediolanensi statu.

Ceterum Livianus copias suas Trimolio quantocius jungere decreverat, unitis Gallorum, ac Venetorum viribus neminem resistendo parem fore persuasus. Rustici quoque Brixiani sumptis armis, electoque inter suos Duce Brixiaë urbis foribus agmina sua admovent, civibusque, ut præsidium a Cardonna impostum trucidarent, opem ferunt, Liviano nunciantes, protinus accurreret arcem obsessurus, qui tamen nonnisi tria armatorum millia Brixiam submisit, consultius existimans, quod residua exercitus sui parte recta Cremonam peteret, quamvis ejus consilium minime Venetorum Provifori probaretur, nec ipse de itineris sui ratione Rempublicam certio rem fecisset. Ergo Cremonam contendit, a civibus

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

bus sollicitatus, qui in Ludovici Regis obsequium redire festinabant: Urbem igitur ingreditur, arcemque annona, bellicque apparatu instruit, demum vero Laudum, Soncinum & Papiam progreditur, cunctasque has urbes Gallorum studiis devovet. Jamjam Padum trajicere parat, cum ejus copias, quas Brixiam miserat, a Rocandolpho Cæsaris Duce fusas fugatasque fuisse, nunciatur: Nec tamen hoc nuncio a suscepto deterritus consilio, Trimollio suas copias jungere censuit, spe fretus, sibi parem cum illo recuperati Ducatus Mediolanensis gloriæ partem reservatum iri.

§. LXXVIII.

Genua Seditiois ope Gallis reddita.

Marian. lib.
30. n. 87.

Hæc cum gererentur, Gallica novem triremium, aliarumque quarundam navium classis, Preiano Duce, Genuam appulsa est, Seditiosis opem latura, nam diuturna Flischos inter & Fregosios ferebant diffidia, ac Fregosii, Flischis graviter oppressis, abs dubio sua felicitate tuto potiti fuissent, si vindictæ suæ libidinem suppressere didicissent. Verum eorum ferocitati opportuna nimis sese offerebat ulciscendi occasio, quippe Fregosii Ducis fratres cujusdam Sicarii ministerio Hieronymum Flischum trucidabant,
qua

qua cæde comperta Hieronymi fratres Sæcul. XVI.
A. C. 1513.
eandem sortem veriti, Francis adhærere
statuerunt, collectisque quatuor peditum
millibus, ac tribus millibus equitum,
Genuam cinxerunt, eo omnino tempore,
quo Preianus Lanternam arcem, quæ
continuo Gallis parebat, commeatu mu-
niverat. Ergo Flischorum fautores urbis
portas aperiunt, illosque intromittunt,
Dux vero, ac ex ejus fratribus unus tri-
remis cujusdam beneficio aufugiunt; Lu-
dovicus autem alter illius frater in lecto
prehensus, captusque indomiti equi cau-
dæ alligatus per urbis compita raptatur.
Hoc facto urbs Ludovici Regis partibus
adhæsit, Gallique nullo negotio ceteras
Reipublicæ civitates recuperarunt: Ge-
nuensis vero urbis Rectorem, Ducem-
que Regis nomine Antonium Adornium
elegerunt.

§. LXXIX.

*Totus Mediolani Ducatus, excepta
Navarra & Como Gallis
subjectus.*

Mediolanenses tam prospero armorum
successu stimulati, una omnes suum
erga Gallos studium palam profitentur.
Insperata hæc, novaque felicitatis vicissi-
tudo, necnon Proregis Neapolitani absen-
tia, qui suas copias, nullo tentato præ-

Sæcul. XVI.

A.C. 1513.

Marian. lib.

30. n. 83.

lii discrimine indemnes servare, a Rege Catholico jubebatur, non modo rerum faciem, sed & animos in diversum repente mutavit, nam omnes Longobardiæ urbes a Maximiliano Sfortia novo earum Duce deficiunt, sola Navarra & Novocomo in ejus fide persistentibus, eo quod validissima, quibus muniebantur, præsidia civium mutabilitatem coercent. Denique Sfortia, cum vix delibatis novi sui Principatus auspiciis, jam improvise adversantis fortunæ flatu depressus, ruinæ proximus esset, Novarram sese recipere compulsus est, ubi eum Helvetii deducebant, qui horum eventuum potius testes, quam vindices erant, utpote mutua cum Hispanis dissidia foventes.

§. LXXX.

Papa Gallos a Mediolano arcere nequidquam conatus.

Hucusque Leo Pontifex sua Studia ex æquo partiebatur: verum cum Trimolius Italiam invaderet, ad alterutram partem sese inclinare compellebatur, ut hoc pacto Venetorum, Gallorumque progressus inhiberet: Præprimis nil intentatum reliquit, ut Venetos a firmando foedere cum Galliarum Rege absterreret; ast nihil datum est illius precibus. Præterea Cinthium clientem suum ad Regem able-

ablegat, qui ejus nomine declararet, Sæcul. XVI.
A.C. 1513.
quod Papa Prædecessorum suorum vesti-
giis minime inhærere cogitaret, sed po-
tius paternum animum omnibus exhibe-
re vellet, quamvis enim affectum, quo
Medicæa domus Galliarum Reges avita
fide veneratur, cum lacte suxisset, nec
tamen facere posset, ut sub primis statim
auspiciis Pontificatus sui, quo nonnisi uni-
co mense potiretur, Sedis Apostolicæ
foedera a suis Prædecessoribus inita vio-
laret, licet equidem Gallis plurimum fa-
veret, si tamen palam eorum partes se-
queretur, id inconsultum foret, cum sic
potissimorum Principum odium in se con-
citaturus esset, quam ob causam, in-
quiebat Cinthius, rogat Papa, ut tem-
poris necessitati, non mentis aversioni
adscriberet Rex, si is forte Mediolanen-
sium invasioni quovis pacto obsistere com-
pelleretur. Tandem Ludovicum precaba-
tur, ut literas, quibus eum a turbanda Ita-
liæ tranquillitate dehortaretur, æquo
ferret animo. Ludovicum cunctis Papæ
monitis exiguam fidem habuisse, ex iis,
quæ postmodum attentaverat, conjici-
mus.

§. LXXXI.

*Prædecessoris exemplo novus Papa
Gallis adversatur.*

Abs dubio Ludovicus sibi persuasum ha-
bebat,

Sæcul. XVI. bebat, quod Pontifices recens electi
A.C. 1513. non raro dignitatis accessione animum
 mutarent, ac Sedis Apostolicæ studiis, quæ sub diversis etiam Pontificibus ferme semper eadem sunt, abriperentur. Quinimo etiam Leo decimus in eo, quod præcipuum rei caput erat, haud absimilis Julio II. exstitit. Equidem non eodem utebatur agendi modo, per diversas tamen vias ad eundem collimabat finem, nimirum ad frangendam Gallorum potentiam: hinc sollicitabat Angliæ Regem, ut in Franciam irrumperet, precibusque repetitis Ferdinandum Arragoniæ Regem in Gallos concitabat. His Pontificis conatibus ipsa quoque adspirabat temporis opportunitas, quippe poenituit Ferdinandum pacti cum Ludovico foederis, atque ut illud impune, quoties luberet, violare posset, ambiguum vocem induciis insertam in rem suam vertebat, nam utrinque cautum erat, ut Galli suos foederatos, Hispani vero sacram Sedem ab induciarum lege exciperent. Ludovicus per sacram Sedem Curiam Romanam, ejusque, quos illa possideret, status indicari autumabat: Rex autem Catholicus ampliorem huic verbo sensum tribuens, *Sedis sacræ* nomine non modo Status, in quos jus Curiae Romanæ competeret, sed ipsas etiam intelligebat copias, quas tum alebat, aut in posterum conscriberet, adeo,

Lib. Frev.
an. 1513. &
1514. p. 71.
Raynald an.
1513. n. 57.

adeo, ut tunc si Leo X. ad tuendum Mediolani Ducatum eo exercitum mitteret, & Trimollius Pontificis copias hostiliter aggrederetur, Cardonnæ integrum esset, induciis minime violatis Papæ exercitum quocunque militari modo defendere.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

Adeo pronum Ferdinandi animum excipiebat eventus non minus secundus, quo Papæ fiducia haud parum firmabatur; cum enim Leo conqueretur, quod a Rege Catholico sacræ Sedi Parma & Placentia fuissent ereptæ, Hieronymus Vicus Romæ Hispanorum Legatus hac super re ad Regem suum literas dedit, quibus acceptis Ferdinandus nulla mora Cardonnæ suo Neapolis Proregi injunxit, ut Sedi Apostolicæ Parmam & Placentiam sine moræ dispendio redderet, ac Pontifici significaret, Hispanos mox foederi accessuros, quamprimum innotuerit, quod Foederati copias ad Gallos expellendos necessarias Hispano exercitui jungerent velint.

§. LXXXII.

Legatus a Maximiliano Sfortia ad Papam missus.

Interea temporis Hieronymus Moronus *Raynald. ad Maximiliani Sfortiæ Orator summum ann. 1513.* Pontificem adiit. Is erat vir rebus etiam diffi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1513. difficillimis feliciter expediendis admodum idoneus, cujus quoque consilio Pontifex ad submovendos Gallos uti haud dedignabatur: Igitur Meronus exponit, eam esse Mediolanensis Ducatus conditionem, ut, si diuturno Gallorum aut Hispanorum imperio assuesceret, reliqua Italiæ pars, nullo obsistere auso, alterutrius potentiae cessura esset; hinc haud magis opportuno remedio a sacra Sede imminetia hæc mala declinari posse, quam si Helvetiis pecuniæ quibuslibet demum expensis submitterentur, cum hoc pacto hi abs dubio tot copias, quot ad Trivultium ex Italia propellendum necessariæ forent, suppeditaturi forent.

§. LXXXIII.

Pecuniæ ad conscribendas copias adversus Gallos a Papa Helvetiis missæ.

Mortoni rationibus cessit Pontifex; ceterum conquirendæ pecuniæ haud sane facilis patebat via; ærarium enim vix non exhausserat Julius, & quæ supererant, Leo in die inaugurationis suæ profuderat. Ergo mensarii vocantur, qui quadraginta duo aureorum millia mutua dederunt, ne vero prima occasione paternæ benevolentiae pollicitatio, quam Cinthus nomine Pontificis Ludovico Re-
gi

gi fecerat, violata videretur, hasce pecunias eo fine Helvetiis submitti obtendebatur, ut viginti aureorum millium pensio a Julio promissa Pagis Helveticis numeraretur, reliqua vero viginti duo millia in præmium obsequii Ecclesiæ præstiti eisdem cederent, eoquod illorum ope Parma & Placentia recuperatæ fuissent, quas urbes Maximiliano Sfortiæ reddendas Cardonna occupaverat.

Sæcul. XVI
A.C. 1513.

Bemb. l. 4.
epist. 1.

Igitur Papæ pecuniis quinque Helvetiorum millia conscribuntur, quibus Tortonam usque procedentibus Cardonna, qui in Valle Trebia castra metabatur. Prosperi Columnæ suasu suas quoque copias adjungere statuit, ut auctis viribus Trimolio obsisteret: hunc in finem ille proprio chirographo ad Helvetios perscripsit, eisque injunxit, ut Trebiam venissent, atque ad ipsum accederent: hi vero castra movere renuentes, & pugnare, & vincere eo nequidem expectato decreverunt. Nihilominus cum Papa rem Regi Catholico exponeret, Vicus cursorem ad Cardonnam ablegabat, qui Regis sui nomine eidem præciperet, ut Fœderatis in Mediolanensi Ducatu sese adjungeret, collatisque viribus Gallos debellaret. His ita dispositis nil propius esse videbatur, quam ut Helvetii Maximilianum Sfortiam singulari conatu ac fortitudine tuerentur.

§. LXXXIV.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

§. LXXXIV.

Novarra a Trimollio cincta.

Equidem Trimollius prompto Novarram versus itinere Maximilianum, qui ibidem sese incluserat, captum abducere sperabat, ut eandem cum Patre suo fortem experiretur, quem iidem Helvetii eodemque in loco Gallis captivum traderunt. Idem quoque verebantur Hispani, eo potissimum nomine, quod inter Helvetios Novarrensis præsidii Præfectos, atque inter Gallici exercitus Belliduces iidem, ac eorum non pauci reperirentur, qui olim in Ludovici Sfortiæ proditionem conspirabant. Verum evanuit hic timor, cum vehementius Helvetiorum in Gallos odium novam rebus faciem conciliaret.

Guic. l. II.

Marian. lib. 30. n. 89.

Belcar. l. 14.

Memoires du Bellai l. 1.

Ferron. in Lud. XII.

Ergo Trimollius Novarram cingere statuit, ac propriarum virium fiducia elatus, haud expectato totius exercitus adventu, nonnisi quingentis cataphractis, & sex Germanorum, quatuor vero Gallorum peditum millibus stipatus processit. Verum Novarra urbs erat non solum situ, sed & opere munita, quam præsidii locum tuebantur sex Helvetiorum millia non ita pridem Sfortiæ equitibus adjuncta, præter septem ejusdem nationis millia a Motino, totidemque a Barone Alfaxio, qui alia ex parte accitus advenerat, adducta:

Cum

Cum vero Gallorum manus ad expugnandam urbem adeo munitam impar esset, Trivultius nullum non movit lapidem, ut Trimollium a suscipiendo obsidionis consilio avocaret, donec sex millia Germanorum peditum recepisset, quæ jamjam ad Vallem Seguisinam delata a Tavanefio adducebantur: Trivultii tamen consilium neglexit Trimollius, eo quod eidem nunciatum esset, quod valida Helvetiorum agmina in Novarræ subsidium accurrerent, unde copias suas urbi admovit, atque obsidionem exorsus, cunctis belli tormentis in mænia directis, crebram ruinam edidit, nullam tamen ad assultum satis amplam.

§. LXXXV.

Obsidio interrupta. Helvetiorum aggressio.

Verum præfidiariis urbem invicta virtute tueri paratis, Trimollius habito belli Senatu exposuit, interrumpendam esse obsidionem, cum consultus foret, Helvetiis, quos Motinus adduceret, occurrere. Obstitit denuo Trivultius: ast potissima Belliducum parte eidem adversante statutum est, quod eodem temporis articulo Galli Trecastam contenderent. Dubia adhuc erat itineris ratio; cumque Trivultii Marescalli judicio utpote patriæ

*Bemb. l. 3.
epist. 1.*

Hist. Eccles. Tom. XXXII. K k sua

Sæcul. XVI. suæ haud ignari, standum decerneretur,
A.C. 1513. hic idem, eoquod amplas, per quas Galli
 transirent, regiones possideret, ut eas
 indemnes servaret, per longos viarum
 circuitus exercitum Gallicum deduxit,
 Unde primum agmen cum tormentis Tre-
 castam, ut iussus erat, ducere negligens,
 Riotam contendit, ibique positis castris
 noctem transegit. Locus erat, quem se-
 legerat, ob paludum uliginem impervius,
 fossis intercisis, cænoque tam profundo
 oblitus, ut nequidem media æstate com-
 modam transeundi copiam indulgeret,
 quocirca equites peditatum tueri prohibe-
 bantur. Hunc errorem Trimollius, qui
 cum media, ac postrema acie sequeba-
 tur, Trivultio vehementius exprobrabat,
 & perspecta loci iniquitate, castris inde
 motis Treecastam petere cupiebat: ast in-
 feliciter accidit, ut Trivulcius equos ve-
 hendis tormentis destinatos ad pascua
 tam longinqua emisisset, ut eos inquire-
 re, ac reducere temporis angustia pro-
 hiberent. Quapropter exercitus totam
 noctem Riotæ transigere compellebatur,

§. LXXXVI.

*Gallorum astra ab Helvetiis im-
 pugnata.*

Eodem, quo Trimollius Novarra disces-
 serat, die Motinus belli Præfectus
 Tici-

Ticinum trajecit, ac ne in Gallorum co-
 pias impingeret, a regia, quæ Medio-
 lanum ducit, via ad lævam deflectens ur-
 bem ingressus est, moxque belli Sena-
 tum convocavit, in quo decretum, ut
 illico acri impetu in Gallos invehetur,
 eoquod tam arcta tenerent castra, ut soli
 pedites pugnandi copiam haberent, pro-
 in supervacaneum esset, a Barone Alt-
 faxio auxilium præstolari. Ergo postera
 die sexta Junii præter quadringentos Sfor-
 tiæ equites Helvetiorum decem millia No-
 varra erumpunt, Gallosque in suis ca-
 stris adoriuntur, exercitu scite in duo
 agmina diviso, quorum unum sex arma-
 torum millibus validum tormentis, ac
 Germanorum peditibus opponeretur, al-
 terum vero e dextro cornu, ferme totum
 ex selectiori milite hastato compositum
 Gallos equites, si forte peditatui opem
 ferre vellent, protinus arceret.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1513.

§. LXXXVII.

*Ingens Gallorum clades, & Helve-
 tiorum victoria.*

Trimollius de itinere, atque hostium *Bemb. l. 2.*
 occursum edoctus, opportune adhuc *epist. 1.*
 exercitum suum in aciem collocabat. Jam *Raynald. an.*
 vero Helvetii oriente luce in primos Gal- *1513. n. 31.*
 lorum ordines irruebant, hi tamen illo-
 rum impetum immoto pede sustinentes,

K k 2

tor-

Sæcul. XVI tormentis suis, multoque vulnere desu-
A.C. 1513. per inflictō Helveticam virtutem plecte-
 bant, densoque globorum imbre integros
 hostium ordines, qui tamen illico novis
 supplementis reficiebantur, continenti
 cæde prosternebant. Dudum ancipiti di-
 micatum prælio, & sæpius fortuna
 jam in hanc, jam in alteram nationem
 inclinabat, neutri tamen victoriæ sum-
 mam cedebat. Tandem vero dum Hel-
 vetii probe prospexerant, quod ipsi,
 licet Gallorum equitatus ob loci importu-
 nitatem pugnandi copia destitueretur,
 abs dubio tamen superandi essent, hinc
 post tertiam prælii horam tam stupenda
 virtute, tantoque impetu in hostem ef-
 fundebantur, ut Germanos simul ac Gal-
 los eo facilius dispergerent, quo minus
 illi ob loci angustias sese denuo colligere
 possent.

Summa cædis aviditate, vixque un-
 quam audita pugnandi pertinacia nonnisi
 Gallici exercitus pedites dimicabant, ex
 quibus Germani inveterato in Helvetios
 odio accensi, ferme soli velut furiis acti
 omnes hostium suorum impetus sustine-
 bant, ac densiorem tormentorum tem-
 pestatem immoti excipiebant; his tamen
 penitus cæsis victoriæ gloria penes Hel-
 vetios stetit. In hac pugna cum Rober-
 tus de Marca Fleurangium, & Gema-
 censem duos filios suos ætate Juvenes,
 qui

qui germanis peditibus præerant, ex equis in terram præsterni cerneret, non modo, an filiis suis auxilium ferre posset, haud amplius considerabat, sed & imperii sibi a Duce suo dati immemor, ferocius quam

cautius cum sua cataphractorum centuria usque ad prælii aciem penetravit, ac per medios Helvetiorum euneos quaquaversum lancea sua viam sibi aperuit, donec ad locum, ubi filii sui dimicabant, tandem perumperet, ubi Fleurangium equo suo, Gemacensem vero alteri, quem ipse habebat, imponens auffugit, atque elusa insequentium Helvetiorum solertia ad Gallorum equitatum pervenit, hocque pacto, quibus vitam dederat, eandem etiam conservavit. Varius est Scriptorum calculus de utrinque cæsorum numero. Si Guicciardino fides, in Helvetiorum exercitu nonnisi mille quingenti desiderabantur, ex Gallis autem, eo teste, peditum decem millia fuere trucidata: Ast non hac sola falsitate Guicciardini historia scatet. Mariana scribit: *Su-*

pra septem Gallorum millia ceciderunt, atque in iis omnes Germani, Viri quoque nobilitate, factisque clari, Coriolanus, Trivultius, atque Ludovicus Beamontius.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

*Memoires du
Marecha de
Fleuranges.*

*Memoires du
Bellai l. 4.*

Guicc. l. XII.

*Marian. lib.
30. n. 96.*

Sæcul. XVI.
A.G. 1513.

§. LXXXVIII.

*Gallorum exercitus accepta clade ex
Italia in Gallias rediit.*

Petr. Justin. Illata clades tanto terrore Gallorum exercitum oppressit, ut nil sibi præsidii
lib. II. reliquum haberet, nisi ut superatis alpibus toto pedum studio, ac præcipiti fuga in Gallias remearet. Ergo Trimollius, Helvetiis fugitivum minime insequentibus, iter aggreditur, ac prope Segusium copiis, quas ipsi Tavennesius adduxerat, sese conjungit. Ex adverso Helvetii ipso prælii die Novarram triumphantium more ingrediuntur, secum ducentes viginti duo belli tormenta, tanquam spolia Gallis erepta: Victores quoque comitabatur agmen Motini Belliducis, qui hujus victoriæ auctor eandem gloriosa morte sua decoravit, hastæ ictu in gutture transfusus. Interea Altsaxius Baro parta nonnisi victoria cum sex vel septem Helvetiorum millibus accurrebat: quapropter summo opere doluit, quod ipsius adventus non expectaretur; speratæ enim victoriæ partem sibi ereptam fuisse censebat. Opima insuper præda victoribus cessit, omnesque urbes, quæ paulo ante Gallis accesserant, in pristinam Mediolanensis Ducis fidem sese receperunt, ac præscripto pretio perfidiæ suæ veniam nonnisi auro

auro redemerunt, nam soli Mediolanensi ci- Sæcul. XVI.
 vitati ducentorum millium aureorum mul- A.C. 1513.
 ta imponebatur, ceteris vero pro faculta-
 tum suarum ratione: Pedemontium autem
 & Montferratum ab Helvetiis devastaban-
 tur, hac duntaxat ex caussa, quod hæc
 urbes Gallis foedere junctæ iisdem tran-
 situs copiam fecissent.

§. LXXXIX.

*Galli Genua expulsi; Fregosi
 restituti.*

Postquam fama de Gallorum fuga in
 Genuæ montibus resonabat, tota
 Respublica novam faciem induit. Præ-
 primis Leo Pontifex tam prospere cum
 Cardonna Neapolis Prorege rem egerat,
 ut Hispanorum exercitus Papæ jussu hanc
 urbem superare aggrediretur, quippe
 Octavianus Fregosius Proregi pollicitaba-
 tur, quod ipse altera die, qua Genuam
 reverteretur, eidem quadraginta aureo-
 rum millia daturus esset. Promissum ac-
 ceptavit Cardonna, ac quantocius ducto-
 re Piscaria Marchione, selectiores exer-
 citus sui copias transmisit, postea Mar-
 chio cives ad regiminis sui formam rur-
 sus inmutandam, ac supremam Senatus au-
 thoritatem Fregosiis reddendam sollicitavit
 Hoc facto Antonius Adornius exauctora-
 tionis suæ calumniam præventurus, ipse

Sæcul. XVI. A.C. 1513. sponte munus suum abdicavit, ac urbe excessit, civium non paucis eum comitantibus, qui ejus administratione mire læti obortis etiam lacrimis illum sequebantur: Octavianus autem Fregosius in ejus locum Reipublicæ Dux seligebatur, Gallis denuo inde depulsis, qui ad Lanternæ arcem fugere compellebantur: Igitur Ludovicus Galliarum Rex unius mensis spatio Genuam, & Mediolanum occupavit, simulque amisit: Maximilianus vero Sfortia pristinam Ducatus sui possessionem recuperavit.

§. XC.

Livianus cum copiis suis recedit, ad Lignanum occupat.

Marion. lib. 30 n. 90.

Interea Livianus Veneti exercitus Dux, percepta Gallorum clade, nulla mora cum copiis suis ad Reipublicæ ditones sese recipere, animo constituit; unde præsidio Cremæ imposito, Athesi flumine vectus, Balonium præmittit, qui Lignanum urbem occuparet, ut tutum ei trajectum per Athesin pararet. Molli admodum brachio Lignanenses incolæ Venetorum impetus retundebant: casu etiam accidit, ut, cum Livianus tormentis, quæ advexerat, arcem quateret, flamma ad pulveris pyrii receptaculum penetraret, quo infortunio Veneti opportune usi per
muri

muri hiatum inopino hoc cuniculo pate- Secul. XVI.
factum irruerunt, ac Cæsareos milites A. C. 1513.
præfidiarios una omnes jugularunt.

§. XCI.

*Veronna a Liviano cincta, & soluta
obsidio.*

Livianus prospero hoc successu animatus, copias suas Veronnam usque adducere constituit, urbis obsidionem tentaturus, quæ quamvis tribus equitum millibus, totidemque peditibus Germanis munita esset, eamque Rocandolphus tueretur, Livianus tamen hæc minime moratus, cunctis majoribus tormentis uni suggestui impositis, viginti quatuor horarum spatio ingentem muris labem intulit, moxque equitibus suis, equo descendere jussis, cuncta ad irruptionem disposuit. Verum mutato repente consilio, obsidionem solvit, quam tamen paucis post horis donuo urgere incipiens, impigro conatu in urbem impressionem fecit; cum autem ipsemet Rocandolphus cum ter mille quingentis Germanis oppugnantium impetum propulsaret, ac Venetorum, si qui propius accederent, audaciam aut vulnere aut morte plecteret, Livianus hujus Belliducis fortitudine ter-
ritus assultum interrupit, ac secunda jam

Sæcul. XVI. vice urbis obsidionem solvit, nemine ta-
A.C. 1513. men fugitivum insequente.

§. XCII.

Cardonna Neapolis Prorex in Longobardiam movens.

*Bembl. 1. 3.
 ep. 19. & 1. 6.
 epist. 9.*

Hæc postrema fuere Liviani in urbem molimina, eoquod Cardonna sollicitante Maximiliano Sfortia, eidem magnis itineribus instaret. Equidem Prorex hucusque neutrius partis studio addictus videri cupiebat, verum Gallis vix Genua pulsus mox sua obsequia Cæsari palam exhibebat, ac Brixiam, Bergomumque occupabat. Demum Piscaria urbe ac arce recuperata, Veronnam venit, ubi Germano militi, qui rescissis induciis in Forojulensi Provincia bellabat, suas quoque copias adjunxit, simulque continuo victoriæ cursu Lignanum armis suis subjiciens, Montgnagnæ castra metatus est, abs dubio Patavium quoque, & Tarvisium expugnaturus, nisi Livianus obstitisset: Hic enim, cum totam belli mollem Continentis ditionibus impendere prospiceret, cunctasque urbes hostium furori eripi posse desperaret, nonnisi tres potissimas urbes Patavium, Tarvisium, & Cremam collectis viribus tueri constituit.

§. XCIII.

§. XCIII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

*Livianus Patavii inclusus Cardonnam
urbis obsidionem solvere compellit.*

Quapropter ex ceteris urbibus præsi-
diarios educens, exercitum suum
inde auctum in tria divisit agmina, quo-
rum unum Patavio imposuit, ipseque
hanc civitatem, quam certius ab hoste
oppugnari, difficilius vero defendi posse
existimabat, tuendam suscepit, & Tar-
visium Balionio, Cremam vero Cerio
tuendam commisit, & ex reliquis duo-
bus agminibus cuilibet unum adjunxit.

Nec Livianum sua fefellit opinio;
quippe Prorex Neapolitanus Patavium
contendit, eidemque Gurcensis Episco-
pus in itinere occurrens, militum suppe-
tias non ita pridem e Germania adductas
adjunxit. His copiis auctus Cardonna,
ineunte mense Augusto exercitum suum
urbi admovit, eandem obsidione cinctu-
rus. Verum expeditionis difficultas illius
vires superabat; ejus enim copiæ, quam-
vis præsentia atque Liviani fortitudo no-
vos illis animos addidisset, ad circumsi-
dendam tamen adeo amplam urbem nu-
mero impares erant, quapropter Prorex
a cæpto consilio desistere compulsus, ma-
jori suorum, quam hostium dispendio,
pedem retulit. Epirotæ, seu Albanen-
ses,

*Marian. lib.**30. n. 92.**Traite de la**Ligue de**Cambrai t. 2.**p. 316. &**seq.*

Sæcul. XVI. A. C. 1512. ses, cum obsidionis tempore ex urbe erumperent, Alphonsum Carvajalum inter Hispannos in paucis strenuum Belliducem unacum Cadennate, & Espinosa Centurionibus captivum abstraxerunt. Hæc Patavinæ urbis obsidio nonnisi urgente Gurcensi Episcopo cæpta est, invito licet Cardonna, qui potius Tarvisium, cujus oppugnatio exercitus Hispani vires haud superabat, expugnandum censebat, ipse etiam Gurcensis Episcopus vana fuisse sua consilia demum agnoverat: quocirca duodevicesima die, qua urbs Patavina oppugnari cæpta erat, obsidio unanimi consensu soluta est, Foederatorum exercitu sese Vicentiam recipiente, cum hæc urbs demum unicuique promiscue pateret.

§. XCIV.

Venetorum querelæ adversus Papam.

Inter hæc adversantis fortunæ fata acerbiori longe vulnere Venetos afficiebant suppetiæ eorum hostibus a summo Pontifice submissæ, quæ quamvis numero admodum exiguæ, utpote nonnisi ducenti lancearii, ac nonnullæ peditum centuriæ essent, nihilominus haud obscure indicabant, Papam Venetis adversari, ac foedus cum Cæsare a Julio II. adversus eos initum exequi velle, satque hac super re Leo X. mentem suam aperiebat;

magis

magis tamen Gallis indignabatur, quos Sæcul. XVI.
 quamvis modo a concepta Mediolanen- A. C. 1513.
 sis Ducatus hoc anno recuperandi spe de-
 jecisset, sedulo tamen præpedire conaba-
 tur, ne in ausus Sædi Apostolicæ noxi- Guicci. l. II.
 os erumperent, aut sese ab unione Ro-
 manæ Ecclesiæ separarent: Haud enim
 ignorabat, Gallos sibi admodum insen-
 sos esse, cum præcipue Franciæ Univer-
 sitates, quæ Pisano cœtui, cujus nudum
 nomen Pontifici timorem (*) incussit,
 auctoritatem conciliare omnibus viribus
 niterentur. Quapropter Leo Papa quo-
 dammodo Ludovicum Regem placare
 constituit: Rex vero frequenter profite-
 batur, nolle se concordiæ pactis aurem
 accom-

(*) Quid sibi Papa justissimæ causæ inni-
 xus a Pisano conciliabulo timeret, haud perspi-
 cimus; cum enim rebelles hi Cardinales cum suis
 sequacibus non nisi Schismaticorum Basileensium
 errores revocarent, parem quoque cum illis exitu
 eorum synagogam fore sortituram quiete
 præviderat Pontifex; jam enim ab urbe in ur-
 bem extorres pellebantur, nec Cæsar, nec quis-
 cunque alius Princeps eis adhærebat, atque ipsi-
 met hujus schismatis antesignani jam antea lite-
 ras supplices propria manu subscriptas Synodo
 Lateranensi porrigebant, per quas errorem suum
 fatebantur, culpæ suæ veniam poscentes. Unde
 ergo tam terrificum esse potuit Leoni hujus con-
 ciliabuli nomen?

Sæcul. XVI. accommodare, nisi Cardinales, qui ob
A.C. 1513. concilium Pisis, ac Mediolani congrega-
 tum exauctorati erant, denuo suis digni-
 tatibus redderentur, atque ad sacrum
 Purpuratorum Collegium reciperentur.
 Ut ergo hi rursus in sacræ Sedis gratiam
 redirent, voluit Papa, ut collatis consi-
 liis hac de re cum Regina ageretur:
 priusquam tamen reconciliati admitte-
 rentur, Lateranensem Synodum profe-
 cutus est.

§. XCV.

Sessio VII. Concilii Lateranensis.

Labb. Collec.
Conc. t. 14.
p. 156. &
seq.
Raynald. an.
1513. n. 42.

Die decimo septimo Junii, quo indicta
 erat, feria sexta habebatur Sessio
 septima, cui ipse summus Pontifex præ-
 erat, fuitque sacrum submissa voce ce-
 lebratum per Dyrrachiensem Archiepi-
 scopum, quo finito Alborensis Cardina-
 lis, qui Synodi Patribus a secretis erat,
 orationem declamavit: Farnesius vero
 Cardinalis S. Evangelium decantavit ex
Cap. 10. v. 1. illis S. Lucæ verbis: *Post hæc autem de-*
signavit Dominus, & alios septuaginta duos.
 Demum Oratores Poloniæ Regis sui man-
 datum porrigebant, quod Phædra con-
 scenso suggestu perlegit. Datæ erant hæc
 literæ Posnaniæ die decima Aprilis. Eo-
 dem ritu recitabantur mandata Maximili-
 ani Sfortiæ, qui suo nominæ Marinum
 Carac-

Caracciolum ad Synodum deputabat: sæcul. XVI.
prælegebantur etiam literæ Mazoviæ A. C. 1513.
Ducum, nec non Marchionis Mantuani,
qui Alexandrum Archidiaconum tan-
quam Oratorem suum ad Synodum ab-
legabat.

§. XCVI.

*Carvajali & Sanseverinatis Cardi-
nalianum palinodia in Concilio
perlecta.*

Perlectis hisce literis, idem Thomas Labb. l. c.
Phedra supplices recitavit literas, p. 160.
quibus Bernardinus Carvajalus, & San- Raynald. l. c.
severinas ambo Pisani Concilii Cardina- n. 44. & seq.
les schisma ejurarunt, ac cunctis, quæ in
Pisano cœtu acta fuere, damnatis Late-
ranensem Synodum approbarunt, pollici-
ti, quod Leoni Pontifici obtemperare, pa-
lamque profiteri velint, se a Julio ac Con-
cilio pro culpæ suæ ratione merito a Car-
dinalium collegio depulso fuisse.

§. XCVII.

*Papa apud Gallicæ Regem innocentiam
suam vindicans.*

Post hæc summus Pontifex calumniam
sibi apud Gallicæ Regem de quodam
articulo impactam diluere compellebatur:
Pecuniæ enim, quas Helvetiis suppeditasse

Sæcul. XVI. A.C. 1513. taffe dicebatur, non tam secreto expen-
debantur, quin rumor ad Ludovici au-
res pertingeret. Ea de re Rex datam
sibi fidem fuisse violatam existimans, per
Cinthium hac super re apud summum
Pontificem querebatur, quem in ceteris
quoque haud magis fidelem fore suspi-
cabatur. Nec adeo eum sua opinio fe-
fellit: Leo tamen Cinthio, quem sibi de-
vovit, persuaserat, ut ea, quæ nulla solida
ratione comprobari possent, diffiteretur,
ceteris vero, quæ nulla tergiversatione
celari valerent, honestam veri speciem
obtenderet. (*) Igitur Cinthius Regi
hæc exposuit; falso Leo Pontifex insi-
mulatur, quod Helvetiis, aut pecunias
suppeditaverit aut illos contra vestram
Majestatem ad occupandum Mediolani
Ducatum adhortatus fuerit, equidem i-
dem, utpote communis omnium Pater, Ve-
netos in Cæsaris gratiam revocare conatus
fuit, nunquam tamen permisit, ut Principes
Ecclesiæ Filii ditionibus suis, quas a Majo-
ribus suis hæreditario jure acceperant
spoliati gemerent, nec etiam iniquo tulit
animo, quod Veneti Regiæ Majestati ve-
stræ ad recuperandam, quæ ad Valen-
tinam

(*) De his præter Continuatores omnino
nullum, qui tam asseveranter ejusmodi nugæ
referat, Scriptorem reperi, quæ igitur fides
illis adhibenda, Lectoris judicio relinquo.

tinam de Vicecomitibus aviam tuam Sæcul. XVI.
A. C. 1513.
spectat, hæreditariam possessionem succurrissent, ac propterea nulla eos censura perstrinxit, quamvis ejus prædecessor illos tam spirituali, quam temporali gladio ex fœderis lege persequi compulsus fuisset; Leo tamen Franciæ fautores veneratur, etiam illos, quos Sedes Apostolica tanquam hostes suos olim declaraverat: hinc omnis querendi causa mox tolletur, quamprimum Rex Pisanum conciliabulum tueri cessabit; ab hoc enim ante omnia concordiæ auspiciis omnino petendum est.

§. XCVIII.

Ludovici XII. Oratores ad Lateranense Concilium missi.

Ad hæc Ludovicus XII. a Regina conjugæ suæ summis Pontificibus, sedique Apostolicæ filiali semper obsequio addicta erat, sollicitatus, Papæ votis cessit, persuasus (*) quod ab illo temporis

(*) Ludovicus Galliarum Rex in literis, quas Lateranensi Synodo porrigi jussit, testatur, se solo Religionis zelo, atque instinctu adductum Lateranensi concilio adhærere, speretum, desideratam universalem fidelium pacem sub auspiciis Leonis Papæ præstito assuturam;

Sæcul. XVI. A. C. 1513. poris articulo, quo ad Sedis Apostolicæ sententiam Pisanum conciliabulum detestaretur, Papa foedus cum illo initurus esset, ut ipse in Italia ditiones suas recuperare posset. Ergo in Senatu Regio decretum, diffidia ob Pisanum concilium Ecclesiam inter & Regem exorta tandem esse dirimenda. Hanc ob rem Claudius Seyffelius Massiliensis Episcopus, & Ludovicus Forbinus tanquam Regis Legati Romam ad Synodum

ac propediem unanimi Christianorum Principum consensu arma in fidei hostes convertenda. *Spondanus vero refert, eundem Regem non spe recuperandæ ditiosis alleclum decrevisse Pontifici in Concilii Pisani abdicatione assentiri, sed ad id maxime inductum fuisse unanimi populorum suorum desiderio, Ecclesiæ Romani reconciliare summopere cupientium, atque Annæ Reginæ, quæ semper ab his dissidiis alienissima fuerat, precibus. Aliam rationem cum Raynaldo, aliisque indigitat Paulus Jovius in vita Leonis X. lib. 3. Ludovicus, inquit, multiplici rerum suarum periculo magnopere commoveri, sæpe æstuare animo, consilioque, arbitrari ante omnia sibi divinitus ea infligi vulnera, & alias super alias parari clades, quod sacrosanctum Pontificem dico consilio, atque impiis armis fuisset persecutus.*

nodum ablegati sunt, eisque facta est po- Sæcul. XVI.
 testas, ut Lateranensi Concilio Regis no- A. C. 1512.
 mine adhærere possent.

§. XCIX.

*Nonnulli Cardinalium reconciliationi
obluſtantes.*

Quamprimum Romæ fama increbuit,
 quod Cinthius e sententia Pontifi-
 cis rem gessisset, ac Leo Regi pollicitus es-
 set, se Carvajalum & Sanseverinatem Car-
 dinales pristinis suis honoribus resti-
 tuturum, nonnulli, pauci tamen, huic con-
 silio obluſtabantur. Præprimis Cæsaris
 & Ferdinandi Regis Legati, quibus Car-
 dinales Eboracensis natione Anglus, &
 Sedunensis patria Helvetus accesserunt,
 promissæ reconciliationi sese opponebant,
 caussati, injuriam Julio II. irrogari, eo-
 quod ille hosce Cardinales omnino a fi-
 delium coetu segregare, necessarium ju-
 dicasset, jam vero nimiam veniæ facili-
 tatem maximam esse ajebant novæ re-
 bellionis illecebram. Leo Papa, li-
 cet fidei Galliarum Regi datæ tena-
 cissimus esset, palam tamen queren-
 tibus Legatis obsistere non audebat, sed
 tunc temporis duntaxat supplices horum
 Cardinalium literas, re adhuc indecisa,
 in Synodo perlegi jubebat, quamprimum
 vero Massiliensis Episcopus ac Ludovi-
 cus

Secul. XVI
A. C. 1513.

cus Forbinus Romam venerant, interdicto, cui Franciæ Ecclesiæ subiciebantur, interrupto, citationis terminum, qui Galliæ Episcopis tanquam seditiosis a Julio II. sub poenarum comminatione præfixus erat, prorogavit, simulque de modo utrumque Cardinalem in gratiam recipiendi deliberavit.

§. C.

Carvajalus & Sanseverinas Cardinales in Papæ gratiam recepti.

Labb. collect. Conc. t. 14. p. 160. Ciacon. in Leon X. t. 3. p. 312. Raynald. ad ann. 1513. n. 44. 45. & seq. **R**ebus ita dispositis, decretisque, ambo Cardinales supplicantium more adeo secreta Romam petebant, ut nec de eorum itinere, nec de adventu notitia haberetur. Postmodum ad Vaticanum palatium vesperascente cælo die vigesima sexta Junii deducebantur, postera autem die nonnisi habitu Clericorum sæcularium violaceo induti in pleno Patrum Senatu comparuerunt, ipso summo Pontifice præsentem, ac Pontificalibus insigniis ornato. Assenserant Leoni omnes Purpurati, soli tamen Eboracensis ac Sedunensis Cardinales reluctabantur, qui cum flecti haud possent, a confesso abesse rogabantur. His abeuntibus ambo Cardinales consistorii aulam ingrediebantur, ac supplices ea, quæ in literis suis cala-

calamo expresserant, viva etiam voce Sæcul. XVI.
 rata habebant, & coram infinita prope A. C. 1513.
 modum hominum ad hoc spectaculum
 confluentium multitudine genuflexi alta
 voce literas quasdam prioribus amplio-
 res perlegebant, iisdemque publice signa-
 tis delicti veniam exorabant. Papa ritu
 solemniori illos ab omnibus, quas incurre-
 rant, censuris solvit, ac Ecclesiæ com-
 munioni plene restituit, eisque rursus
 concessit pristinam Cardinalatus dignita-
 tem, cunctaque beneficia, quæ nulli
 hætenus collata fuerant; illa, quæ
 extra Gallias possederant, non eisdem re-
 stituebantur, eo quod a Julio Ecclesiasti-
 cis adeo potentibus concessa fuissent, ut
 eos offendere consultum haud foret. De-
 mum ita restitutos Papa violaceum ha-
 bitum deponere iussit, eosque sacrorum
 rituum Magister Cardinalium vestibus
 induit, impositaque cappa rubra eos ad
 pedis, manus, orisque Pontificii osculum
 adduxit, quo facto illi ceteros quoque
 Cardinales, a quibus nulla hucusque sa-
 lutatione dignati fuerant, deosculaban-
 tur. Pontifex cuique eorum injunxit Bembo l. 3.
 poenitentiam, ut in qualibet septimana (*) ep. 21.
 jejuna-

(*) *Paris de Grassis S. rituum Magister
 tum præfens inquit, singulo Mense.*

Sæcul. XVI. jejunarent per unum diem durante totius vitæ curriculo. Post hæc Papa illos prandio refici curabat, ac postera die Cæsarem de tota rei serie certiolem faciebat.

§. CI.

Cardinales a Leone X. creati.

Clacon. l. c.
p. 337.

Paul. Jov. in
vita Leon. X.

Aubery hist.
Cardinal.

Ceterum Patres Sessionem octavam Concilii Lateranensis ad hyemale tempus prorogarunt, veriti, ne Episcopi a Synodi accessu æstivis caloribus præpedirentur. Hoc temporis intervallo summus Pontifex quinque Prælatos Purpuratorum Senatui die vigesima tertia Septembris, vel juxta alios, prima Octobris adscripsit. Horum primus erat Laurentius Puccius, Florentinus, cujus familiæ Leo multa in acceptis referebat; non pauci enim ex ea pro Medicæis exilia mortemque perpeffi fuerant. Titulum SS. quatuor Coronatorum sortitus est Puccius, qui etiam præter Albanensem ac Prænestinum Episcopatus, antea rexit Pistoriensem, Melfitensem, & Venetensem Ecclesias, ac idem subire quoque jussus est majoris Pœnitentiarii munus. Alter erat Julius de Medicis, itidem Florentinus, qui primo Rhodius Eques, demum Florentiæ Archiepiscopus Cardinalis renunciatus est, titulo S. Mariæ

Mariæ in *Dominica*, postea S. Clementis, ^{Sæcul. XVI.}
 ac denique S. Laurentii in Damaso: hic ^{A.C. 1513.}
 idem ad supremos Pontificatus apices e-
 vectus, Clemens VII. appellatus fuit. ^{Guic. l. II.}
 Tertius erat Bernardus Tarlatus ex fa- ^{§ 12.}
 milia minus clara (*) Florentiæ ortus,
 qui primo Episcopus Constantiensis in Nor-
 mannia ac Laurentio de Medicis Leonis X.
 Patri ab epistolis erat, postea vero ab
 eodem Pontifice Cardinalis creabatur
 titulo S. Mariæ in Porticu. Quartus no-
 minabatur Innocentius Cibo patria Ge-
 nuensis, ejusdemque urbis Archiepisco-
 pus, Leonis ex sorore nepos, S. Victoris
 Abbas, Massiliensis Episcopus, demum
 Cardinalis Diaconus tit. SS. Cosmæ &
 Damiani, mox S. Mariæ in *Dominica*. De-
 nique quintus, Matthæus Langius de
 Wellenburg, natione Germanus, Gurcen-
 sis Episcopus, Cardinalis Diaconus tit.
 S. Angeli, Archiepiscopus Salisburgensis,
 ac Albanensis Antistes. Perperam O-
 nuphrius eundem a Julio II. Anno Chri-
 sti quingentesimo undecimo supra mille-
 simum Cardinalium collegio adscriptum
 memo-

(*) Ciaconius *loc. cit.* p. 339. inquit ex cla-
 rissima olim apud Aretinos familia ortus. Et
 Josephus Eggs in *Purpura docta* lib. 3. pag. 368.
 scribit: illustri prosapia Bibienæ in lucem e-
 ditus.

Sæcul. XVI.
A. C. 1513.

Bembo l. 5.
ep. 32.

Petr. de
Angler.
epist. 560.

memorat; prima enim vice hoc titulo ornatus legitur in epistola hoc anno die quinta Novembris a Pontifice ad eundem scripta, imo Petrus de Angleria aliam quamdam refert epistolam trigesima Decembris datam, in qua Matthæus nonnisi Cardinalis *electus* nominatur, abs dubio, quod absens ad Cardinalatum vocatus esset. (*)

§. CII.

*Papa Venetos a Gallis abstractos
Cæsari conciliare intentus.*

Ceterum ex agendi ratione, qua Leo Ludovicum Regem habebat, sinceræ reconciliationis animus ei defuisse videbatur; nil enim intentatum rellequit Pontifex

(*) *Hanc controversiam optime conciliat Ciaconius, cum scribit. Matthæus secreto Anno 1511. adscriptus fuerat inter Cardinales, & die Jovis decima octava Decembris eodem anno publicatus, ast ille Cardinalitias vestes deferre noluit. Regnante dein Leone X. die 20. Novembris anno 1513. urbem petens recusabat a Leone pileum Cardinalitium recipere, cum diceret, illum a Julio sibi missum olim recepisse: Cum tamen solemniter non fuisset ejus capiti impositus, decretum fuit, ut ad publicum consistorium, in quo receptus fuit, imponeretur.*

tifex, ut Venetos a Gallorum foedere ab-
 fraheret, eosque in Cæsaris gratiam Sæcul. XVI.
A.C. 1513.
 reduceret: quinimo, ut votis suis poti-
 retur, iisdem, nisi Cæsari accederent, nul-
 lam spem in Papæ præsidio repositam
 fore exposuit, suis vero copiis præcepit,
 ut in Continentis ditionem ad Cardon-
 næ & Rocandolfi exercitum contende-
 rent, priusquam vero iussa effectui da-
 rentur, rem cum Episcopo Gurcensi tum
 Romæ agente contulit, qui, ut foedus
 maturaret, Pontifici literas solo Cæsa-
 ris Domini sui nomine subscriptas tradi-
 dit; similem quoque epistolam Respubli-
 ca porrigere adstringebatur, ea tamen
 conditione, ut Pontifex hac super re in-
 consultis iis, quorum interest, nullam sen-
 tentiam pronunciaret: Nec tamen E-
 piscopus aliud in hoc negotio impetra-
 bat, quam ut Papa inducias indiceret;
 Cæsar enim obfirmato animo Vicentiam
 tueri statuebat; eoquod hæc urbs Ger-
 manis opportunum in Longobardiam
 ingressum præberet; Veronnam quoque
 sibi reddi petiit, ibi enim copias, quas
 in Italiam mitteret, commode colligere
 poterat, nec non præter has alias quoque
 condiciones Venetis præscripsit, ac inter
 ceteras ut centum aureorum millia infra
 trimestre penderent, huiusque summæ
 tertiam partem eodem die, quo foedus
 firmaretur, numerarent, & denique, ut

Sæcul. XVI. Respublica continentis ditionis, quæ ei-
A. C. 1513. dem superesset, regimen beneficiario no-
 mine ab Imperio denuo reciperet.

§. CIII.

Conditiones a Venetis rejectæ.

Ast Senatores, cum haud obscure pro-
 spicerent, quod tota continentis re-
 gio, si Vicentia, ac Verona Germanis
 relinqueretur, utraque hac urbe velut
 finibus circumscriberetur, proin illam va-
 lidis omnino præsidiis cum majori lon-
 ge dispendio, quam proventuum commo-
 do firmare oporteret, hinc duras adeo
 conditiones acceptare renuebant, unani-
 mi suffragio decernentes, malle se, Rem-
 publicam quibuscunque periculis, quæ
 ipsi impenderent, objicere, quam Germa-
 nis urbes ad Mincii & Athesis fluminum
 litora fitas relinquere. Magis adhuc Ve-
 netorum animos exulcerabat Rex Ca-
 tholicus, qui Brixiam urbem quamvis
 altera post initum foedus die eam Ve-
 netis reddere pollicitus esset, Cæsari ta-
 men restituit; hic vero urbem haud alio
 pacto reddere voluit, quam novis condi-
 tionibus ab eo proponendis. Senatores,
 quod propria sua bona auro redimere
 compellerentur, vehementer indignati,
 nullas ultra sibi foederis conditiones pro-
 poni patiebantur, ea potissimum ratione
 firma-

firmati, quod Helvetii, quibus tamen Sæcul. XVI.
 clam quadraginta aureorum millia de- A.C. 1513.
 dissent, Mediolanensi Ducatu excedere
 renuerent, caussati, Tavannesi copias
 adhucdum in Provincia ac Delphinatu
 castra metari; præterea Venetorum a-
 nimos erexit, quod Cardonna jam du-
 dum nulla militum supplementa conscri-
 beret, & Hispani pedites præda onusti
 potissimam partem relictis militiæ signis
 in patriam suam reverterentur; Pontifi-
 cis vero legiones haud integræ essent, ac
 insuper Duce suo destitutæ; denique
 Cæsar nequidem quatuor ex viginti ar-
 matorum millibus, quæ promississet, hu-
 cusque suppeditaverit. Prospero hoc
 rerum concursu Veneti sensim timore,
 quem ipsis Pontificis minæ incusserant,
 liberabantur.

§. CIV.

*Venetorum ditio usque ad eorum Me-
 tropolim ab Hispano exercitu
 devastata.*

Verum paulopost Venetorum curas Fœ- Marian. l. 30
 deratorum expeditio longe vehemen- n. 97.
 tius augebat; hi enim promeritas a Re-
 publica poenas poscebant, eo quod illa tre-
 centis omnino annis Italiam continuo
 bello divexasset: Igitur Cardonna Ger-
 manorum peditibus, qui Veronnæ erant,
 accer-

Sæc. XVI. accersitis copias eis suas adjunxit, traje-
 A.C. 1513. ctoque Brentsia fluvio, ad quem pervene-
 rat, Margheram usque processit, quod op-
 pidum est exiguum quidem ad Veneta-
 rum paludum oram situm, ex quo tamen
 Urbs Veneta libero oculo prospici po-
 test, quapropter Prorex in eam aliquo-
 ties tormenta explodi jussit, quorum glo-
 bi usque ad FF. Prædicatorum coeno-
 bium nonnisi quarta leuæ parte ab ur-
 be. distitum pertingebant. Hoc facto Hi-
 spanorum copiæ per urbis Regionem effu-
 sæ opimam ubique prædam colligebant,
 demum vero pluribus pagis deprædatio-
 ne exhaustis, sese recipere meditabantur:
 verum non adeo expedita fugæ patebat
 via, quippe Senatores, cum inter cetera,
 quæ subditi perpessi essent, mala mi-
 tius fuisset communis vastitas, tantam
 insuper hostium ferociam indignati, Li-
 viano præceperunt, ut ex tribus urbibus,
 quas sibi tuendas servabat, præsidia edu-
 ceret, totoque impetu in Hispanos irruer-
 ret. Livianus semper certaminis impa-
 tiens collectis illico copiis Foederatorum
 exercitum presso pede insequabatur: Er-
 go Foederati, cum hinc toto itinere nil
 commeatus invenirent, illinc tam arcte
 ab hostium copiis, atque rusticis cinge-
 rentur, ut militum nemo sine periculo vel
 mortis vel captivitatis ab exercitu emit-
 ti potuisset, tunc primum agnoverunt,
 quod

quod in tantis rerum angustiis unice Sæc. XVI.
 ipsis salutis fuisset, si prius ingentem an- A.C. 1513.
 nonæ copiam sedulo collegissent.

§. CV.

*Livianus & Balionius a Hispanis
cæsi.*

Haud aliud Cardonna in promptu ha- Marian. l. 30
 bebat consilium, quam ut ad mon- n. 98.
 tana confugiens, inde per Athesin averso
 flumine Roboretum versus contenderet,
 ac demum Veronam rediret. Ergo mo-
 tis prima luce castris iter aggreditur; o-
 portune etiam ad primum solis teporem
 densissima dilabitur nebula, quæ Liviano
 hostilis discessus notitiam aliquamdiu ab-
 stulit: Eo tamen certius comperto, pro-
 tinus copias educens, hosti necdum duas
 leucas emenso occurrit; unde die se-
 ptima Octobris uterque exercitus pari,
 tantaque pugnandi aviditate manus con-
 seruit, ut quis prior hostem provocaverit,
 ignoretur; primo quidem impetu Vene-
 ti equites adversos equitatus ordines
 perrumpebant, sed incauto periculi con-
 temtu longius abrepti fuere profligati,
 quippe vix in conspectu utraque acies e-
 rat, cum Venetorum pedites equitatus
 præsidio destituti pedem referrent, unde
 prælium, quod diu anceps fore credeba-
 tur, vix cæptum in dissipationem totius
 exer-

Sæcul. XVI. exercitus degenerabat. Communis a-
A.C. 1513. deo erat cæsorum clades, ut nonnisi Ve-
 netorum paucissimi victorum gladios ef-
 fugerent, sarcinis etiam, bellique tormen-
 tis Hispanorum arbitrio penitus reli-
 ctis: In acie autem cæsa sunt Veneto-
 rum peditum quatuor millia, quadringen-
 ti vero cataphracti interfecti. Capti
 sunt Balionius, & Lauredanus Reipubli-
 cæ Provisor & sægre admodum Livianus
 Patavium fuga contendit, nec Grittus
 securitati suæ cautum existimabat, do-
 nec Tarvisii propugnaculis exciperetur.

§. CVI.

*Parta victoria Hispanorum
progressus.*

Marian. l. 30
n. 99. **A**cepto cladis nuncio Venetis opinione
 minor erat consternatio, tantumque
 abfuit, ut Respublica Livianum erroris
 argueret, quin etiam ad eundem duos
 Senatores ceteris magis spectatos able-
 garet, qui suam eidem prudentiam gra-
 tularentur, qua in tanto periculo consti-
 tutus, ubi totius exercitus exitio nil pro-
 pius esse videbatur, saltem illius partem
 omnino indemnem servasset. Hæc
 tamen eadem dies, quo secundior Hi-
 spanis, eo magis funesta Venetis acci-
 dit; ab illo enim tempore omnium nu-
 tabant animi, cunctaque victoribus victas
 dabant

dabant manus, nam Vicentini ultro Hispanis urbis suæ portas aperiebant, ubi Prorex aliquot dierum spatio copiis suis quietem, ac vires reficiendi copiam indulfit, & Arx Bergomensis, quæ hucusque immota in Reipublicæ obsequio perstitit, impetu factò Hispanorum armis cessit, qui tamen Paulum Balonium libertate donarunt, ea lege, ut sacramenti religione fidem suam obstringeret, se in captivitatem rediturum, si Veneti captivorum comutatione facta Alphonso Carvajalo ab Epirotis, & Mercarino in Patavina obsidione capto libertatem reddere cunctarentur. Attamen Carvajalo in vinculis demortuo Balonius ad captivitatem reverti neglexit, illius morte a juratæ fidei religione solutum se existimans. Denique Mediolanensis arx post longam, eamque pertinacem obsidionem die vigesima Novembris deditioem facere compulsæ est, ac Cremonensis quoque eodem pacto Hispanis subjecta fuit. Igitur Galli denuo ex Mediolanensi Ducatu expulsi, totam Longobardiam victorum potestati relinquere cogebantur, ipsis non nisi unica Lanternæ arce relicta, quæ tamen Genuam urbem in officio continuit, ipsisque Genuensibus permolesta exstitit.

Sæcul. XVI.

A.C. 1513.

Secul. XVI.
A. C. 1513.

§. CVII.

*Fœdus Mechliniense Fœderatos inter
& Angliæ Regem.*

Guicci. l. IX.

Dum hæc in Italia geruntur, Henricus VIII. Angliæ Rex cum numeroſo exercitu Franciam invadere parabat; Mechliniæ enim cum Fœderatis armorum ſocietatem inibat, quam Margaritha ab Austria Belgii Gubernatrix, cum Cæſaris Patris ſui, necnon Angliæ Legatorum auctoritate ſuffulta eſſet, die quinta Aprilis concluſit, ea lege, ut illa demum ab ipſo ſummo Pontifice, Imperatore, Regeque Catholico firmaretur. Erant autem hujus fœderis articuli. I. Trigeſimo poſt ſancitum fœdus die Fœderatorum ſinguli Galliarum Regi bellum nunciabunt, extra Italiæ fines inferendum, & quidem Papa in Provincia, vel Delphinatu, Cæſar in alio loco, Arragoniæ Rex in Bearnia vel Aquitannia, denique Anglus in Normannia, vel Picardia Gallos invadent. II. In omnes, qui huic fœderi obſiſterent, cenſuras feret Pontifex. III. Ad belli ſumptus Henricus VIII. centum aureorum millia trina ſolutione numerabit, nempe bello mox indicto, item eo inchoato, ac demum tertio poſt Menſe IV. infra unius Menſis ſpaciũ Cæſar, atque Angliæ Rex,
poſt

post bimestre vero Papa, & Rex Arrago-
 niæ foedus ratum habebunt, addita A.C. 1513.
 hac conditione, ut foedus si Leo ac Fer-
 dinandus intra præscriptum tempus
 accedere negligerent, nihilominus illud
 Cæsarem inter & Angliæ Regem fir-
 mum persisteret. V. Denique, Fœdera-
 ti cuicumque demum exceptioni nun-
 cium mittent, præcipue vero illi, qua se
 non suo, sed procuratorio nomine foedus
 sanxisse, obtendere possent. His arti-
 culis Londinum delatis, Carroz de Vil-
 laragud Ferdinandi Legatus die duode-
 vicesima Augusti hæc pacta regiis literis
 firmavit, necnon die vigesima quinta e-
 jusdem Mensis nomine Ferdinandi Ar-
 ragoniæ Regis, ac Joannæ Castellæ Re-
 ginæ pollicitus est, quod ambo Principes
 hosce articulos integra fide servaturi
 essent.

§. CVIII.

*In navali prælio Anglos inter & Gal-
 los Anglicæ classis Architalassus
 occisus.*

Priusquam Angliæ Rex instructo agmi-
 ne Franciam invaderet, navale præ-
 lium, idque acerrimum committitur:
 Jam enim Mense Aprili Howardus nava-
 lis militiæ Præfectus cum triginta dua-
 bus bellicis navibus in altum præcurre-
 bat,

*Mem. du
 Bellai I. I.
 Argentre
 hist de
 Bretagne.*

Hist. Eccles. Tom. XXXII.

M m bat,

Sæcul. XVI. bat, Gallorum classe interea Brestiæ in
A.C. 1513. anchoris hærente, ibidem quippe Com-
 mendatorem Pregeanum de Bidusio A-
 quitanniæ Nobilem præstolabatur, cui
 datum erat negocium, ut ex mediterræ-
 neo in Oceanum cum sex triremibus ex-
 curreret: Interea vero Anglicæ classis
 Dux Brestiam propius accessit, Gallorum
 naves, quæ in anchoris stabant, aggres-
 surus, accepto tamen nuncio, Pregeanum
 jamjam Conquestum appulisse, velis mox
 obliquatis eo contendit, sex illas trire-
 mes subacturus. Ergo illas Anglus ad-
 oritur, cui Pregeanus licet viribus impar,
 invicto tamen robore restitit, usque dum
 prætoria Anglorum navis Gallicam Pre-
 geani triremem, prora ad proram illisa,
 concuteret, illamque Howartus stricto
 ense ingressus, ingentem cladem ederet:
 nihilominus cum Pregeani triremis a
 Prætoria opportune sese expediret, An-
 glicæ classis Præfectus cum exigua suo-
 rum manu in triremi relictus, a Gallis
 quis esset, ignorantibus in mare per hasta-
 rum ictus propellebatur, cumque in hoc
 certamine vulneratus esset, paucis post
 diebus animam efflabat. Hujus morte
 comperta, Anglorum classis certamen
 prosequi minime ausa, in quemdam An-
 gliæ portum sese recepit, novi Architha-
 lassi, qui Thomas Howartus defun-
 cti frater erat, adventum præstolatura.
 Interea

Daniel hist.
Frans t. 2. in
fol. p. 1900.
Vie de Louis
XII.

Interea Pregeanus in Surregiæ Provin- Sæcul. XVI.
 cia in Anglia exscensionem tentabat, sed A.C. 1513.
 exigua præda auctum, indeque reducem
 quinque Anglorum naves insequabantur,
 quæ demum altum tenere compulsæ in
 Britanniam venere, ubi milite in ter-
 ram exposito plura oppida incendio ab-
 sumpserunt: Die vero decima Augusti
 prope urbem S. Mahé Anglica octoginta
 navium classis in Gallicam, quæ nonnisi
 viginti navigiis constabat, irruit, ac du-
 dum ingens utrinque globorum tempe-
 stas effunditur, donec tandem post perti-
 nax cruentumque prælium prætoriam Gal-
 lorum navis pulveris pyrii, qui ignem
 concipiebat, impetu in aerem jactata,
 descensu suo Anglorum prætoriam dis-
 rumperet, ac demum aquis haustam
 deprimeret. Hoc funesto eventu utra-
 que classis territa se invicem separabat.

§. CIX.

Teruana ab Anglis obsessa.

Jamjam mense Majo Angliæ Rex expe- Belcar. l. 14.
 ditionem in Franciam auspicabatur, Polyd. Vir-
 unde exercitus sui partem Caletum trans- gil. l. 27.
 misit, die vero decima septima Junii (*) Basel in ad-
 reli- dit. ad Nau-
 cler. Guicc. lib. 12.

(*) *Marianna hujus urbis obsidioni nonnisi
 ineunte Mense Augusto initium fuisse datum te-
 M m 2 statur.*

Sæcul. XVI reliquas copias inde movere iussit, quæ
A.C. 1513. Salopiæ Comite, ac Herberto Nobili du-
 ctoribus, Teruanæ obsidionem inchoa-
 rent. Hanc urbem, ut cingeret, Henri-
 co auctor fuit Imperator, qui eidem spem
 fecerat, quod hac urbe semel capta ex-
 peditem ad ceteras, quas olim trans ma-
 re Prædecessores ejus possedissent, aditum
 haberet, cum Galli utpote copiis desti-
 tuti nequaquam timendi essent, proin ipsi
 ex Picardia in Normanniam descendere,
 ibique fidei sacramentum a subditis re-
 cipere, integrum foret. His permotus
 Angliæ Rex nonnisi trigesima Junii Ca-
 letum pervenit, comitantibus eum Tho-
 ma Volseyo primo illius Ministro, Caro-
 lo Brandone ejus cliente, aliisque Pro-
 ceribus, cumque interea sui milites Te-
 ruanæ obsidionem strenue urgerent, ipse
 Caleti substitit, ad primum necessitatis
 eventum cum novem armatorum mil-
 lium agmine succurrere paratus; qua-
 propter certo edoctus, quod Longevillæ
 Dux, ut laboranti urbi opem ferret, ad-
 volaret, protinus Caletum profectus ad ob-
 sidentes contendit, ubi etiam secunda die
 Augusti advenit.

§. CX.

*statut. l. 30. n. 94. Et Spondanus ad annum
 1513. num 13. Teruanam Mense Julio ob-
 sessam fuisse narrat.*

§. CX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

Imperator in Anglorum exercitu voluntariam militiam professus.

Die nona Augusti Cæsar Caletum advenit, octo equitum millibus, necnon numero Helvetiorum agmine stipatus, demum cum Henrico Rege Ariaminter & Teruanam colloquium habuit, tertio autem post die ad castra profectus est, sub Anglorum signis voluntariam militiam professus, Germanis minime oblectantibus, quod totius Germani corporis Caput sub Insalano Rege militis gregarii officio fungeretur, atque Angliæ Rex non modo Cæsarem ad tam indignum obsequium (*) induceret, sed etiam
ad

(*) *Hac perperam in Cæsareæ dignitatis ignominiam a Belcario conficta esse, ceterorum auctorum silentio comprobatur, quæ si forte circumforaneus nunciorum propola in suis pagellis scripsisset, certe censoria virga perstricta, ac subducta fuissent. Rem longe aliter narrat Pzlatius, dum in vita Maximiliani Cæsaris fol. 248 hæc scribit: Henricus VIII. Teruanam urbem obsidione cingit, ad quam Cæsar cum pulcherissimo equitatu profectus, suo nutu &*

Sæcul. XVI. ad conscribendos Germanos milites no-
 A.C. 1513. minaret Commissarios, qui non nisi ab
 Henrico dependerent. Idem quoque Rex
 sæpius repetito sermone objectabat pe-
 cuniarum summam, quam Cæsari eo fi-
 ne numerari permisisset, ut integro tri-
 mestri necessaria ei suppeditarentur, ac
 præcipue singulis diebus centum aurei
 in mensæ ipsius sumptum solverentur.

§. CXI.

*Sex armatorum millia ab Helvetiis
 Gallorum Regi denegata.*

Totus Anglorum exercitus, additis Cæ-
 sareis copiis, facile quinquaginta ar-
 matorum millia recensabat. Sub idem
 tempus Ludovicus Galliarum Rex Tri-
 mollium ad Helvetios ablegavit, ut ex
 eorum Pagis sex ejusdem nationis millia
 conscribi peteret, facta pollicitatione, eos
 extra regni fines nunquam in aciem edu-
 cendos fore. Ergo Trimollius Lucernam,
 ubi Helvetii sua agebant comitia, con-
 tendit, omnesque eloquentiæ suæ fon-
 tes exhaustit, ut hanc nationem ad sup-
 peditandas hæc militum suppetias in-
 duceret,

imperio bellum administrabat, quod belli sciens,
 & locorum gnarus esset. Quæ autem causa
 ad tam indignam calumniam bilem moverit,
 patet ex §. CXIV.

duceret, hancque ob rem in amicos, quos ibidem numerabat, dona profusa manu effudit: nihilominus Helvetii a Novarrensibus praelii tempore Gallos adeo nihili faciebant, ut eis in omnibus repulsam darent, nec Trimollius omni, qua polebat, auctoritate plus impetrare poterat, nisi ut Helvetii, priusquam illa sex armatorum millia conduci permitterent, eidem binas præscriberent conditiones: quarum prima erat, ut Franciæ Rex cunctis suis juribus in Ducatum Mediolanensem rite ac valide renunciaret. II. Cum summo Pontifice ea lege, quam Sanctitati suæ præscribere libuerit, in gratiam rediret. Incassum Trimollius ejusmodi leges non nisi hostibus ad internecionem deletis imponi posse replicabat; sed furdas ubique pulsabat aures, utque verbis parcerent Helvetii, Trimollio album commonstrant, in quo viginti quinque suorum millia erant descripta, proxime per Burgundiam in Gallias irruptura, dum interea Germani per Campaniam, & Angli per Picardiam idem regnum infestis armis invaderent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1512.

§. CXII.

*Galli Teruancæ urbi suppetias
veniunt.*

Hac repulsa Ludovicus Galliarum Rex
M m 4 ad

Sæcul. XV. ad tantas redigebatur angustias, ut suis
 A.C. 1513. non nisi copiis Teruanæ urbi auxilium
 Pont
 de-Remy
 ferre posset. Equidem Crequyus de
 Ponte-Remigio vir nobilis huic civitati
 imperabat, sed præsidiariorum numerus
 obsidentibus longe impar erat. Accessit
 tamen, comperta Teruanæ obsidione,
 Tellignius Rutenensis Provinciæ Sene-
 scallus, qui ad tuendos Picardiæ fines,
 si forte Carolus Archidux Cæsaris vexil-
 la sequeretur, expeditam militum ma-
 num ducebat. Hic ergo nullo suorum
 dispendio, urbem ingrediebatur: Rex
 quoque in Picardia triginta circiter ar-
 matorum millia contraxit, sublata ma-
 jorem numerum colligendi facultate, eo-
 quod Burgundiam, Belgiumque adver-
 sus Helvetios, qui utramque Provinciam
 invadere minitabantur, tueri compelle-
 retur. Interea obsessi invicto robore op-
 pugnantium imperus sustinebant, jamque
 integrum mensem obsidio tenebat; cum
 vero Regi nunciatum esset, quod urbs
 non modo bellici apparatus sed etiam an-
 nonæ penuria sensim laboraret, proin ob
 famis violentiam civibus deditiois peri-
 culum immineret, protinus Amblanum
 contendit, ac Francisco Halluino de Pien-
 nes Picardiæ Governatori negotium de-
 dit, quatenus ipse copiis præesset, nilque
 intentatum relinqueret, ut comineatum
 urbi inferret, sollicitè tamen prælii dis-
 crimen

crimen declinaret. Id ægerrime fere- Sæcul. XVI.
A. C. 1513.
bant Longevillæ Dux ac Palisus, qui
non nisi inviti Piennesio morem gerebant,
eoquod ille pauloante horum imperio
subjectus, haud alio meritorum suffra-
gio eorum Bellidux esset, quam quod in
Picardia bellum gereretur.

§. CXIII.

*Annona, bellicæ apparatus urbi
illatus.*

Interea Piennesio tam commeatus, quam
belli instrumenta large & hospitaliter
ex Picardia advehebantur, injunctumque
Fontrallio, ut octingentos equites du-
ceret, eorum vero singuli equis suis pul-
veris pyrii saccum, medianque porci
sale aspersi partem superimponerent, ur-
bemque ingressi, denuo prope Guinega-
tam ad exercitum redirent. Fontrallii
ausibus secundus arrisit eventus, ejusque
facinus longe audacissimum hostis qui-
dem obstupuit, brevi tamen severius ca-
stigavit.

§. CXIV.

*Gallorum exercitus ab Anglis, Germa-
nisque cæsus.*

Vix enim Fontrallius ad exercitum re-
vertebatur, cum Angli pugnam pa-
rare

M m 5

rare

Sæcul.XVI.
A.C.1513.

*Mem. du
Bellai l. I.
Hist. du
Chevali
Bayard. c.57*

*Mezer. ab-
reg.chron.
l.4. p.198.*

rare viderentur. Galli solo hostium a-
spectu percussi vario tumultu cuncta tur-
babant, ac terrore in castra effuso confe-
ctum quamplurimi, iique milites strenui
extra prælii aleam ponebantur, adeo, ut
Longevillæ Dux ac Palisus ægre exi-
guum cataphractorum agmen ad pugnam
ducere valerent; unde vix prælio datum
erat initium, cum jam Galli una om-
nes laxis equorum habenis præcipiti fu-
ga dilaberentur, nulla eos colligendi spe
relieta: præcipui tamen Belliduces po-
tius mortem oppetere, quam adeo pro-
pudiosum suorum exemplum sequi mal-
lebant. Horum e numero erant Lon-
gevilla, Bayardus eques, Fayette, Buffy
de Ambasia, præter nonnullos alios ge-
neris nobilitate magis conspicuos. Ini-
tium est hoc prælium prope Guinegatam
die decima octava Augusti, & a nonnul-
lis *Calcariorum* pugna dicitur, „eoquod,
„ inquit Mezerayus, Galli magis calcari-
„ bus ad fugam, quam armis ad pugnam
„ uterentur.„ Accepta clade Rex im-
perii Piennesio commissi errorem deplo-
rans, eidem Engolismi Comitem subro-
gabat, præcipiens, ne quicquam incon-
sultis Belliducibus militari experientia
clarioribus aggrediretur, ac vitæ suæ, re-
gnique salutis impensius consulere.

§. CXV.

Sæcul. XVI.
A. C. 1513.*Capta Teruana, Tornacum ab Anglis
obsessum.*

Verum hæc cautela fera nimis erat; obsessi enim, peracto prælio, omnis auxilii spe destituti die vigesima secunda Augusti urbis deditionem fecerunt, quam Angliæ Rex, comitante eum Cæsare, die vigesima quarta ejusdem Mensis victor ingrediebatur, cumque inter eos de urbis imperio (*) contentio oriretur, Anglorum exercitus arcem, propugnacula, atque mænia solo æquavit. Ceterum tanta erat hujus victoriæ amplitudo, ut æstate nondum adulta victoribus liber ad Parisiensem urbem aditus pateret, cumque illa hostium impetus sustinendo impar esset, Galliarum Rex victricibus Foederatorum armis adeo terrebatur, ut mox comperto sinistro prælii eventu, sine ulla omnino mora lectica vectus, cum podagræ doloribus premeretur, urbe excederet, ac fugæ suæ quietem nonnisi Blefæ indulgere valens, inde quantocius Ambasiam

(*) Mirum sane, quod Cæsar, si nonnisi gregarius Regis Angli miles fuisset (vide §. CX.) jam de supremo urbis dominio cum suo Principe contendere ausus fuerit. Ita sibi raro fingendi libertas constat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

basiam contenderet. Verum minus necessaria erat hæc securitatis sollicitudo; Cæsar enim Henrico Regi auctor erat, ut Tornacum obsideret, idque decretum fuit, quamvis hujus urbis expugnatio minus Angliæ Regi, quam Carolo Archiduci hoc pacto ditionem suam firmanti proficua videretur. Cunctis interea ad parandam obsidionem intentis, Henricus Margaritam Belgii Gubernatricem, tum Insulis agentem visum ibat, ibidemque biduo morabatur, additque Mariana, Cæsar quoque ad eam urbem accessit, Anglum invisurus, deinde Carolus Austriacus Insulas mox inde concessit, de rebus magnis colloquio adversus Gallos instituto; tandem vero Angliæ Rex ad exercitum suum, qui Tornacum movit, reversus est. Sub idem tempus Imperator ab Henrico discessit, quæ tamen fuerit offensionis causa, ignoratur: Postea autem die decima quinta Septembris Anglorum exercitus Tornacum cingebat, urbemque post septem vel octo dierum oppugnationem, Henricus die vigesima quarta ejusdem mensis victor ingrediebatur, ac Episcopo fidei sacramentum exsolvere renuente, hujus Ecclesiæ administrationem Volsayo committebat. Ceterum dedicationis legibus cautum erat civibus, ut juribus suis vivere permitterentur, datis duntaxat clientellæ nomine quotannis quatuor

Mariam. l. 30
n. 94.

quatuor librarum Turonensium millibus
per continuos decem annos solvendis.

Sæc. XVI.

A.C. 1513.

§. CXVI.

*Margaritæ & Caroli Archiducum
salutatio Henrico VIII.
reddita.*

Altera post Henrici ingressum die, Archiduces Margarita, & Carolus ejus nepos Tornacum venerunt, Angliæ Regi partæ victoriæ gloriam gratulaturi. Henricus quindecim omnino diebus, quibus eorum præsentia fruebatur, nil eorum prætermisit, quæ ad utriusque oblectamentum, ac moræ jucunditatem conferrent; agebantur enim ludricæ equitum pugnæ, hastiludia, celebres choræ, equestres ad annulum trajiciendum decursiones, alique omnis generis ludi. Vix Archiducissa ac Carolus Insulas revertebantur, cum ecce! Henricus vicissim eos officiosa salutatione honorat, summa lætitia exceptus, ubi omnium honorum significationes cum summa animi teneritudine ex æquo certabant.

§. CXVII.

Novum fœdus Insulis sancitum.

Præterlapsis aliquot diebus iidem Principes die decima septima Octobris fœdus

du

Sæcul. XVI
 A.C. 1513.

dus utrinque firmarunt, in hanc sententiam, ut Henrico, quodocunque libuerit, in Regnum suum cum exercitu reverti integrum esset, Cæsar vero toto hyemis tempore in Hannonia, & Arthesia cum quatuor equitum, & sex peditum millibus subsisteret, eique ad alendas hæc copias ducenta aureorum millia diverso tempore solvenda suppeditarentur, ac demum Henricus exeunte Mense Mayo anni sequentis victricia sua arma in Aquitanniam vel Normanniam, Cæsar vero in aliam quamdam Provinciam circumferrent; Margarita autem, & Carolus Archiduces, Angliæ Rex, unacum Catharina de Arragonia conjuge sua, ac Maria eorum Filia, priusquam decima quinta Maji dies illucesceret, Caletum venirent, ubi Archidux cum Maria, Regia Henrici filia, solemniter nuptias celebraret. His ita firmatis Angliæ Rex die decima septima Octobris Insulis profectus, vigesima quarta ejusdem Mensis Richemundiam in Anglia ad Palatium suum pervenit, illusus a Papa, Cæsare, & Arragoniæ Rege, qui belli molem singulis quatuor communem in solius Angli humeros exonerabant, nullo ferme illius emolumento; cum Teruana solo æquata, & Tornacum rebus ejus minus opportunum esset, solusque Volfeyus Episcopatum, ac pinguem S. Amandi Abbatiam aucupatus,

tus, hujus expeditionis fructum repor- Sæcul. XVI.
taret. A.C. 1513.

§. CXVIII.

*Helvetiorum irruptio in Burgun-
diam.*

A deo sinistro hujus belli successu Ludovici XII. res in pessimo loco erant, mediocriter tamen ab adversantis fortunæ invidia sese laceffitum existimasset Rex, nisi ad malorum cumulum accessisset imminens totius Franciæ perdendæ periculum; Helvetii enim Gallis ex Mediolano depulsis Regnum Gallicum hostilibus armis invadebant, rati, quod illud tempore nunquam magis opportuno vastationibus excindendum foret. Ergo a Papa (*) ac Cæsare stimulati collectum viginti quinque, aut juxta alios Scriptores, nonnisi viginti armatorum millium exercitum in interiores Burgundici Comitatus ditiones effundunt, ipso Cæsare Helvetiis promittente, quod & ipse cum sex equitum millibus in eandem Provinciam irrupturus esset, quamvis nonnisi Udalricus Wirtembergensis Dux cum duobus equitum millibus accessisset. Hæc copiæ, cum jam jam ad ipsos Burgundici Ducatus fines penetrarent, in totam quoque

(*) Vid. infra annotationem §. CXXXVI.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

que Provinciam tantum terrorem extendebant, ut Galli iisdem, quibus jam toties ab Anglorum armis opprimebantur, malis denuo exponi pertimescerent, quocirca Rex Trimolium hujus Provinciæ Gubernatorem revocavit, ut sese rapido hostium torrenti objiceret, quamvis ad tuendam hanc regionem nonnisi Lancearii mille, peditumque sex millia præsto essent: Unde probe conscius erat, si exiguam hanc suorum manum in plures urbes partiretur, fore, ut ejusmodi præsidii vi abstractis Helvetii, cum a tergo cuncta tuta haberent, nullo negotio Parisios usque victoriæ cursum protenderent. Hac ratione permotus, Divione sese inclusit, ac sub urbis hujus ruinis tumultum sibi seligere paratus, reliquam Burgundiæ partem hostium arbitrio reliquit.

§. CXIX.

Divio ab Helvetiis obsessa.

Belcar. l. 14.

Igitur Helvetii Mense Septembri ad medium vergente Divionem cingunt, fossasque circum urbem obsidionales ad exactas artis militaris leges ducunt; cum vero moenia pene diruta essent, urbs haud diuturnæ oppugnationi par esse videbatur, eo potissimum nomine, quod hostilium tormentorum vi jamjam magna
muri

ſæcul. XVI.
A. C. 1513.

muri pars dejecta, cunctaque ad impressionem parata essent; opportuno tamen tempeſtatis beneficio factum, ut ineunte Octobri plaviæ accessum nimis lubricum redderent; quapropter irruptionis discrimen in aliam diem differre decretum. Ast ubi Helvetii intelligebant, quod Cæſar ulterioris moræ, qua Angliæ Rex juſſa dare cunctabatur, pertæſus cum exiguo ſuorum comitatu recessiſſet, ac nonniſi ad interiora Germaniæ perveniens ſubiſtiſſet, hinc illi ſegni duntaxat brachio obſidionem urgebant, reliquum temporis ſpacium colloquiis cum Udalrico Duce habitis terentes. Trimollius interea comperto Cæſaris diſceſſu, ejus abſentiam in rem ſuam vertere ſatagebat, cumque per Divionis jacturam non modo Burgundiam, ſed totam quoque Franciam extremo periculo exponi proſpiceret, ut tantum malum averteret, muneris ſui eſſe arbitrabatur: unde haud expectato Regis mandato, quod forte nimis tardum pertimeſcebat, conſilium excogitavit, quo etiam feliciter hanc Provinciam ab exitio exemiſit.

§. CXX.

Fœdus inſcio Rege cum Helvetiis a Trimollio initum.

Ergo cum Helvetiis de concordia agit, ſancitiſque aliquibus articulis polli-

Hift. Eccleſ. Tom. XXXII. N n cetur,

Sæcul. XVI. cetur, se illis, si ab obsidione cessarent,
A.C. 1513. quadringenties aureorum millia numeraturum, cujus etiam summæ viginti millia quantocius exsolvit, residuæ vero partis sponsores oppidodivites dedit. Equidem Udalricus, ejusque Belliduces huic negotio vehementer obluſtabantur, at filere jussi sunt; quippe Helvetii illorum rationibus post Cæsaris discessum, quem fugæ loco habebant, minime cedebant, sed cum Trimollio inducias paciscebantur: Promissæ autem pecuniæ sponsores nominabantur Ludovicus Andegavensis, Mezierius, Franciscus de Rupifortio Franciæ Cancellarii frater, necnon quatuor Divionenses cives inter ceteros magis conspicui ad Helvetiorum arbitrium seligendi. Præterea Helvetii a Rege Ludovico postulabant, ut cunctis suis juribus in Mediolani & Genuæ Ducatus, necnon in Astæ Comitatum tam pro se, quam successoribus suis publico, eoque legitimo instrumento nuncium mitteret, atque eadem jura in Maximilianum Sfortiam transferret: Verum Trimollius cedendi facultate destitutus, postulatis acquiescere renuit.

§. CXXI.

*Helvetii soluta Divionis obsidione
 recedentes.*

Nihilominus vehementer hisce articulis
 Trimol-

Trimollus sese opposuit, ita ut integra fide egisse, ab Helvetiis crederetur, postea tamen cuncta, quæ hi postulabant, quantum ad omnes apices concessit. Præterea Regis Domini sui nomine pollicitus est, quod ipse Pisanam Synodum reprobaturus, Lateranensi autem Concilio adhæsurus esset. Ast ambos hosce articulos, cum aliunde hæc res plurimum jamjam ad id deducta esset, promittendo, nullum subibat periculum. Ergo ad arbitrium, ac juxta leges ab Helveticis Bellicibus præscriptas foedus firmavit Trimollus. Eo facto, ac viginti aureorum millibus illico numeratis, Helvetii Divisionis obsidionem solverunt, & expeditione sua defuncti in patriam reversi sunt, secum vero abstraxere Sponsores, qui tamen dextre fuga dilapsi sunt, postquam nuntium acceperant, quod Galliarum Rex promissæ fidei adversaretur.

§. CXXII.

Bellum Scotiam inter & Angliam.

Sub idem tempus Jacobus IV. Scotiæ Rex, qui inter Galliarum Foederatos, Ludovico constanter adhæsit, Angliam infestis armis invasit, ut a Francia res Anglicas nova expeditione averteret. Verum ab Anglorum exercitu & ipse, die nona Septembris in prælii acie

Sæcul. XVI.

A.C. 1513.

Belcar. l. 14.

Buchan. hist.

Scot. l. 13.

Polyd. Virg.

hist. Angl.

lib. 27.

Raynald. t.

20. an. 1513.

n. 59.

N n 2

occi-

Sæcul XVI. **A.C. 1513** occisus fuit. Haud magis speciosum
 Scotos ad bellum inducendi prætextum
 suo Senatui obtrudere poterat Jacobus,
 quam ut eidem exponeret, quod Galli
 avito foedere Scotis uniti essent, proin
 ipse ad opem Franciæ ab Anglis bello
 pressæ ferendam, societatis legibus ob
 stringeretur. Jam Henricus VIII. in
 Gallias irruperat, cum Jacobus copias
 suas contraheret, quin etiam die decima
 sexta Julii literas ad Angliæ Regem de
 derat, quibus justas, ut obtendebat ipse,
 querendi causas exposuit, bellumque
 nunciavit, nisi Henricus Gallis arma in
 ferre desisteret. Equidem Henricus huic
 Epistolæ die duodecima Augusti respon
 dit, Jacobus vero haud exspectato respon
 so copias suas in aciem eduxit, atque eti
 am Norhamum occupavit. Attamen Sur
 regizæ Comes, qui tum in Provincia Ebo
 racensi agebat, recta in Scotos movit, &
 Jacobum, qui exercitum suum ad mon
 tis Tludonis ima instruxerat, aggressus,
 hostem suum profligavit. Utroque exer
 citu inde recedente, Angli penes se vi
 ctoriæ summam stetisse, nonnisi altera
 die cognoverant, postquam prælii aciem
 relictis omnibus belli tormentis, ipsis ces
 sisse cernebant; ipsis tamen, ut haud
 diffitentur, hæc victoria quinque suorum
 millium dispendio stetit, Scotorum plus
 quam decem millibus desideratis. Præ
 terea

Lesla hist.

Scot. l. 8.

Spon. ad an.

1513. n. 14.

Paris de

Grassis t. 4.

p. 64.

terea Angli Jacobum Regem prælio occisum esse referunt, & inter mortuos re-
 pertum ejus cadaver duobus ictibus per-
 fectum, illudque ab eis in capsam plum-
 beam repositum sepultura caruisse nar-
 rant, eoquod arma sacrilega in Papam
 ferens anathemate perstrictus fuisset: Sco-
 ti autem Scriptores contendunt, fuisse id
 corpus non Regis, sed cujusdam Nobi-
 lis: Nunquam tamen Jacobus Rex ultra
 comparuit. In Regis locum filius ejus
 Jacobus V. sesquiannum agens, in Re-
 gem coronatus est sub tutela Margaritæ
 Matris suæ, quæ Soror erat Henrici Re-
 gis Angliæ; Hæc vero cum jam alteri
 viro nuberet, multos in Scotia tumul-
 tus excitabat.

Sæcul. XVI.
 A C. 1513.

§. CXXIII.

*Henrici VIII. preces pro obtinenda a
 Pontifice licentia corpus Scotiæ
 Regis ad Ecclesiam S. Pauli
 transferendi.*

Paulo post idem Henricus Rex datis ad
 Papam literis ab eodem petiit, ut
 defuncti Regis corpus in sacro loco terræ
 mandari, atque Londinum ad Ecclesiam
 S. Pauli transferri posset. Hanc in rem
 Leo diploma edidit, illudque Angliæ Re-
 gi transmisit, ejusdemque preces huic
 in modum exposuit: „ Defunctus Sco-

N n 3

„ tise

Sæcul. XVI

A. C. 1513.

,, tiæ Rex cum Henrico VII. pactum san-
 ,, ciebat, ut cuius ille promississet, quod
 ,, anathemate percelli, atque etiam per-
 ,, cussus haberi vellet, si initum foedus
 ,, violaturus esset, cum vero insuperha-
 ,, bita hac pollicitatione datam fidem
 ,, fregerit, pacemque perturbaverit, hinc
 ,, in perjurii poenam Eboracensis Cardi-
 ,, nalis atque Episcopus Julii II. Pontifi-
 ,, cis auctoritate munitus rite ac legiti-
 ,, me declaravit, quod Jacobus Rex re-
 ,, apse excommunicationis poenam incur-
 ,, risset, cuius tamen censuræ severita-
 ,, te ille minime territus, in prælio oc-
 ,, cubuit, quin prius a vinculo, quo ir-
 ,, restitus erat, solutus fuisset. Nihilomi-
 ,, nus cum Regiam dignitatem semper
 ,, plurimi habeamus, & defunctum Sco-
 ,, tiæ Regem Henrico VIII. feliciter in
 ,, Anglia Regnanti sanguine junctum fuis-
 ,, se noscamus, hinc ad preces ejusdem
 ,, Regis, qui a Sede Apostolica demor-
 ,, tui Jacobi Regis corpus in locum sa-
 ,, crum transferendi veniam petiit, præ-
 ,, primis serio perpendimus, nobis rela-
 ,, tum fuisse, idque sat vero congruum
 ,, nobis videri, quod Jacobus Rex ante
 ,, obitum suum. haud obscura poeni-
 ,, tentiæ signa ediderit, quantum,
 ,, saltem in fatali eo, in quo tum
 ,, erat, statu fieri poterat, hinc Angliæ
 ,, Regis precibus annuendum censemus.,

Expo-

Exposita itaque hoc modo Regis petitione Pontifex ita prosequabatur : „ Hunc Sæcul. XVI.
A. C. 1513.
 „ in finem Londinensi, aut cuicumque
 „ alteri Episcopo, quem nominare Regi
 „ libuerit, facultatem concedimus, ut
 „ in veritatem hujus facti ea, qua par
 „ est, diligentia inquirere valeat, insu-
 „ per eidem defunctum Jacobum Regem
 „ a censura solvendi potestatem imperti-
 „ mur, dummodo prudenter credi pos-
 „ sit, quod præfatus Rex ante obitum
 „ suum quædam poenitentiae signa edide-
 „ rit: Decernimus tamen, ut hæc ab-
 „ solutio non ad alium finem valida cen-
 „ seatur, quam ut defuncti cadaver in
 „ sacratum tumulum reponi valeat. In-
 „ super præcipimus, atque Episcopo no-
 „ stram ad id concedimus potestatem,
 „ ut Henrico Regi quamdam imponat
 „ poenitentiam, quam ipse nomine defun-
 „ cti Regis persolvere teneatur. „

§. CXXIV.

*Litteræ Pontificis Angliæ Regi par-
tam victoriam gratulantis.*

Victoriam nuper relatam Henrico Regi
 Leo Pontifex gratulabatur aliis lite-
 ris die undecimæ Octobris datis; Nihilominus, inquit Papa, nobis permolestum fuit, tantum Christiani sanguinis effusum fuisse, tum Christianum Regem egregii sane nomi-

N n 4

nis

Sæcul. XVI. nis sororis tuæ Virum (Jacobum Regem
 A.C. 1513. intelligit) Christiani Regis ferro confos-
 sum cecidisse, demum hortatur Henricum,
 ut arma sua imposterum in Turcas fidei
 Christianæ hostes converteret. Haud
 æque præclarum Christianæ pietatis spe-
 cimen edidit Cardinalis Eboracensis; hic
 enim Romæ accepto hujus victoriæ nun-
 cio sacrum solemne in gratiarum actio-
 nem in scio Papa celebrari jussit, assisten-
 tibus etiam quinque Cardinalibus Angli-
 cæ Nationi addictis. Rogabat Eboracen-
 sis Paridem de Grassis Pisauri Episcopum,
 sacrorumque Rituum Magistrum, ut &
 ipse solemnitatem hanc adiret, paratu-
 rus, quæ sui muneris essent. Renuit ta-
 men ille respondens: *Gratiæ non sunt
 publice Deo agenda, ubi sanguinis Christia-
 ni effusio intervenit, quinimo exequiæ sacræ
 pro animabus fidelium defunctorum celebra-
 ndæ sunt: nunquam enim Romana Ecclesia ex
 sacro ritu agit gratias Deo pro aliqua victoria
 nisi contra infideles reportata, exceptis Roma-
 næ Ecclesiæ hostibus, obduratis, ac excom-
 municatis: Rex autem Scotiæ his minime
 accensendus est; licet enim adhæserit Gal-
 liarum Regi Ecclesiæ hosti, nunquam ta-
 men in illum Julius II. Pontifex damna-
 tionis sententiam pronuntiavit, qua ta-
 men Joannes Navarræ Rex percussus fuit.*
 Vehementer quoque idem Paris obstitit
 Maximiliani & Ferdinandi legatis necnon
 qui-

Paris de
 Grassis in
 diariis apud
 Raynald. l.c.
 n. 59.

quibusdam Cardinalibus, qui pariter ob
 Venetorum cladem publicas gratulatio-
 nes decernere statuebant, *Respublica*,
 inquit Paris, *non fuit Romanæ Ecclesiæ*
hostis declarata: Alii tamen sacrum cele-
 brabant, sed non cum tanta solemnitate:
 Pontifex vero hac de re consultus prohi-
 buit, nequid ejusmodi deinceps a Car-
 dinalibus fieret, quod non prius a Pon-
 tifice factum vidissent.

Sæcul. XVI.
 A. C. 1513.

§. CXXV.

*Pax cum Cæsare, & Rege Catholico,
 & Ludovico Pontifici minus
 probata.*

Ceterum Leonis Papæ consiliis nil ma-
 gis adversabatur, quam pax, quæ
 Cæsarem inter & Regem Catholicum
 cum Ludovico Galliarum Rege agitaba-
 tur: Equidem haud ægre ferebat, Fran-
 ciæ Regnum exteris armis graviter dive-
 xari, ut sic Ludovicus nova irruptione Ita-
 liam turbare præpediretur: aliunde enim
 probe prospexerat, hanc pacem nun-
 quam firmatum iri, nisi saltem Ludovi-
 cus sua in Mediolani Ducatum jura mis-
 sa faceret, eaque in Ferdinandum Archi-
 ducem transferret; minime enim igno-
 rabat, nuptias inter Renatam de Fran-
 cia secundo genitam Ludovici Filiam, &
 Ferdinandum Archiducis Caroli fratrem

N n 5

nata

Sæcul. XVI.
A.C. 1513
nato minorem conciliari, eoque vinculo inter ambos hosce Principes abs dubio amicitiae foedus concludendum, quod cum Ludovici juribus haud componi posset. Id unice adhucdum Pontificis animum erigebat, quod Ludovicus immota mente binas praescripsisset conditiones, quarum vi Renata tum nonnisi quatuor annos nata, donec viro matura esset, in Franciae aula permaneret, & Ludovico integrum existeret Mediolani Ducatum recuperare, ac possidere, donec nuptiae essent celebratae: Minus tamen firmæ rationi innitebatur Pontificis fiducia; quippe Ludovicus, ne ab Angliae Rege, atque Helvetiis opprimeretur, Cæsaris, Regisque Catholici favore summopere indigebat, quocirca quamvis ambas hasce conditiones exigere percuperet, nil tamen certius videbatur, quam quod dura necessitatis lege compulsus, ab eis tandem desisteret.

§. CXXVI.

Divionense Foedus cum Helvetiis a Ludovico reprobatum.

Merito Helvetiorum vindictam metuebat Ludovicus, potissimum eo nomine, quod non modo pacta inter eos ac Trimollium Divione inita firmare *Memoires du Bellai liv. I.* renuisset, sed etiam per universam Europam

pam edito diplomate divulgasset, quod Sæcul. XVI.
 ipse Burgundici Ducatus Gubernatori A. C 1513.
 cum Helvetiorum exercitu foedus ineun-
 di facultatem minime concessisset, quin-
 imo etsi forte consensisset, neququam ta-
 men sibi integrum fuisset, immotas Reg-
 ni sui Leges violare; cum enim jam de-
 cem omnino anni præterfluxissent, a qui-
 bus Mediolani Ducatus coronæ suæ ad-
 junctus fuisset, nec se eum avellere pos-
 se aiebat: Præterea Sedis Apostolicæ
 nuncius Tiguri agens Helvetiis exposuit,
 permagni sua interesse, ut cum Galliarum
 Rege concordiam (*) denuo inirent; ti-
 mendum enim, ne eorum pagi, si Re-
 gem ad Mediolanensem Ducatum Austria-
 cæ Domui cedendum armis compelle-
 rent, Austriæ Ducum ditionibus omni
 ex parte cincti, quorum plurimi olim
 Austriaco imperio subjecti erant, denuo
 eidem dominatui sese subderent, si a Gal-
 lorum præsidio penitus destituti essent.
 Has ob causas sanioris ex hac natione
 partis sententia eo abibat, sedulo con-
 servandam esse Galliarum Regis gratiam,
 eidemque adhærendum: verum ceteri
 non modo ejusmodi consilium rejiciebant,
 sed

(*) Consule supra §. CXVIII. ubi Helve-
 tios, stimulante summo Pontifice, Burgundi-
 am invasisse, perperam narrabatur. Vide etiam
 §. CXXVII.

Sæcul. XVI. sed etiam hos velut rebelles, ac patriæ
A C. 1513. proditores habebant, atque illos injuriis
 afficientes, eorum domos diruebant. Haud parum etiam illorum salutem timebatur, qui in datæ fidei pignus pro Francia apud Helvetios obsides manebant, quos inter duo erant Nobiles, ac quatuor Divionenses Cives. Plurimorum Helvetiorum opinio erat, Nobiles capite plectendos, cives vero suspendio necandos. Ludovicus hanc sævitiam indignatus, tempore tamen tum servire compulsus, ad redimendam obsidum vitam pollicitus est, se quadringentesies illa aureorum millia a Trimollio promissa numeraturum, atque insuper Helveticæ nationi ducenta nummum aureorum millia numeratæ pecuniæ, ac trecenta alia millia diversis solutionibus daturum, ac demum cum eis pro Mediolanensi Ducatu triennales inducias initurum.

§. CXXVII.

Obsidum mors ab Helvetiis decreta.

Verum hujus pollicitationis amplitudo Helvetiorum animos adeo non mitigabat, ut etiam in Obsides mortis sententiam pronunciarent, eisdem significantes, quod nil ipsis reliquum esset, quam ut sese ad supplicium disponerent; cum vero Trimollii fautores omnem, qua polle-

pollebant, auctoritatem impenderent, ut Sæcul. XVI. A.C. 1513.
 feralis sententiæ executio differretur, illi hujus moræ opportunitate tam dextre
 utebantur, ut obsides per caminum illius
 cubiculi, in quo clausi hærebant, fuga
 sibi consulere. Helvetii horum fuga
 tantopere concitabantur, ut rursum omnia
 præpararent, quæ ad Burgundiam cum
 exercitu quinquaginta armatorum millibus
 valido depopulandam necessaria cense-
 bant. Verum summus Pontifex illorum fu-
 rorem placare sumopere conabatur, hanc-
 que in rem Bibienam Cardinalem, Vi-
 rum inter ceteros rebus agendis maxime
 idoneum ad eos ablegabat, quin eti-
 am Carpio Comiti, suo apud Galliarum
 Regem Legato, negotium dabat, ut Ludo-
 vicum ad concordiam cum Helvetiis in-
 eundam induceret.

§. CXXVIII.

*Sessio VIII. Concilii Lateranensis,
 cui Ludovicus ejurato Pisano
 coetu adhæret.*

Interea die decima septima Decembris Conc. Labb. t. 14. p. 173. & 177. Spond. ad an. 1513. n. 17. Raynald. ib. n. 89. 90. & 98.
 Sessio octava Concilii Lateranensis ce-
 lebratur, cui ipse summus Pontifex præ-
 erat, comitantibus eum viginti tribus
 Cardinalibus; intererat enim Gurcensis
 quoque Episcopus jam tum Cardinalis,
 unacum duobus illis, quos Leo nuper
 suæ

Sæcul. XVI
A.C. 1513.

suæ dignitati restituit. Re divina ritu minus solemni per Archiepiscopum Dyrachensem peracta, Joannes Baptista de Gargiis Ecclesiasticus miles Ordinis S. Joannis Hierosolymitani sermonem habuit. Absolutis ceteris de more solemnibus Claudius Seyffellius, Massiliensis Episcopus, & Ludovicus Forbinus de Soleriis, Regis Galliarum Legati mandatum exhibebant, quo Ludovicus Rex eorum Dominus Pisanum coetum non nisi conciliabulum nominat, illud rejicit, ac Lateranensi Synodo adhæret. Perlectæ (*) fuerunt hæc literæ in eadem Sessione a Thoma Phædra, quibus sua nomina apposuerunt Cardinalis Sanseverinas, Episcopus Massiliensis, & Dominus de Soleriis, hocque mandatum Corbeizæ die vigesima sexta Octobris hoc anno ratum habebatur per publicas ipsius Regis literas, quarum summa hæc est: *Multi Regi Galliarum firmiter & pluribus coloratisque rationibus persuadebant, se Pisani Concilii congregandi legitimam potestatem habere, ideo illud continuare Rex passus fuit, non quidem ut sanctæ Sedi Apostolicæ, quod absit, maculam inferret, sed prædictis consiliis inductus. Cum vero post-*
modum

(*) *Integræ recitantur in responsione Patris Coeffeteau ad mysterium iniquitatis. pag. 1081. & seq.*

modum Julio Pontifice vita fundito, & Leo-
 ne X. in ejus locum ad summi Apostolatus
 apicem assumpto, intellexerit, prætensum
 Pisanum Concilium tanquam minus legiti-
 mum, necnon omnia in eo gesta damnasse,
 & improbasse, fueritque per suam Sanctita-
 tem tam per literas, quam alias diversimo-
 de paterne admonitus, ut a dicto prætenso
 Concilio recederet, & Lateranensi tanquam
 vero, indubitato, unico, & Oecumenico
 Concilio adhæreret, ipse Rex considerans,
 quanti sit in his & ceteris rebus omnibus sum-
 mi Pontificis auctoritas, quam præsertim vi-
 tæ munditia, atque innocentia commendat,
 quæ sunt in præfato Domino nostro Ponti-
 fice perspicua; animadvertens insuper, quod
 per mortem præfati Julii, omnis odii &
 suspicionis materia est extincta, & quod non-
 nulli ex Cardinalibus prænominatis, necnon
 Imperator, qui prætensum Concilium Pisa-
 num indixerant, jam illi renunciarint, &
 dicto Lateranensi inhæserint: Hinc est, quod
 nos præfati Ludovici Francorum Regis Pro-
 curatores ejusdem Regis nomine & mandato
 cum ea, qua decet, reverentia atque humilita-
 te a prætenso Pisano Concilio penitus disce-
 dimus, illudque abjuramus, ac pure, &
 simpliciter Sacrosancto Lateranensi Conci-
 lio tanquam vero unico & legitimo adhære-
 mus. Insuper promittimus, quod Rex Chri-
 stianissimus nullum deinceps favorem huic
 Concilio quoquo pacto præstabit, quinimo
 quos-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1513.

Secul. XVI
A.C. 1513.

quoscunque Lugduni vel alibi sub nomine huius Concilii persistentes infra unum mensem proxime futurum abire faciet, & pertinaciter resistentes de facto ejiciet, & expellet, ac pro schismaticis habebit. Iidem addebant: Christianissimum Regem facturum, quod sex Prælati & quatuor Doctores ex honoratioribus ex numero eorum, qui prætenso Concilio Pisano intervenerunt, destinarentur ad Papam, qui veniam & absolutionem a sua Sanctitate humiliter postulabunt, & Concilio Lateranensi tanquam vero & unico, tam suo quam aliorum adhærentium prædictorum nomine adhærebunt.

Perlectis hisce literis, Marinus Caracciolus Protonotarius Apostolicus, & Mediolanensis Ducis in Synodo Orator, Papam supplex monuit, ne permetteret, ut Galliarum Rex in suis edictis atque mandatis sese Mediolanensem Ducem nominaret, cum is hunc Ducatum tantum usurpasset, Maximilianus vero Sfortia eundem nonnisi sacrae Sedis auxilio recuperasset; proin se ejusmodi usurpationi obluçtari ajebat: Cui tamen Massiliensis Episcopus reposuit, hæc dubia alio

Collat. Conc. Labb. p. 183. loco ac tempore esse decernenda. Summus vero Pontifex respondit: *Omnia dicta transirent sine præjudicio. Cunctis ita acquiescentibus demum Brandenburgensis, ac Montserratensis Marchionum*

num mandata perlegebantur, quibus am-
bo se Lateranensi Synodo adhærere, pa-
lam profitebantur.

sæcul. XVI.

A.C. 1513.

§. CXXIX.

*Libellus supplex contra Aquensem Se-
natum Synodo porrectus.*

Denique etiam quidam Synodi Procu-
rator summo Pontifici libellum sup-
plicem porrexit refertum gravioribus ex-
postulationibus adversus Provinciæ Par-
lamentum, quod Literas Papæ auctori-
tate tam ex gratia, quam ex justitiæ de-
bito decretas, saltem nisi illæ ex licentia
ejusdem Senatus promulgarentur, exe-
qui non concederet, necnon in Clericos,
& Beneficia auctoritatem, quæ tamen
ipsi minime competeret, sibi arrogaret;
ejusmodi ausus dicuntur in hoc libello,
*Profecto nihil aliud esse, nisi in sanctissimam
Sedem, superbiam sathanæ imitando, cer-
vicem erigere.* Præterea Senatores in cri-
men vocantur, quod insciis locorum Or-
dinariis Ecclesias visitent, numerum in
illis deservientium pro suo arbitrio mi-
nuant, fructus pro conficta Ecclesiarum
reparatione detineant, causas spiritua-
les audiant, partesque, etiamsi Episco-
pali ac Sacerdotali (*) præfulgeant dig-
nitate

Paris de
Grassis in
Diacon. n.
5. apud Ray-
nald. hoc an.
n. 91.

(*) *Libellus supplex, ut exstat in actis,
habet: Cardinalatus.*

Sæcul. XVI. nitate, citent, & ne ad Sedem Apostoli-
 A.C. 1513. cam recursum habeant, prohibeant. Præ-
 ter hæc plura alia ejusmodi accusatio-
 num capita in Senatum Aquensem con-
 jiciebantur: Culpa tamen, quæ Roma-
 næ Curia ceteris gravior accidit, erat,
 quod hi Senatores *damnatam Pragmati-*
cam Sanctionem in eadem Provincia impu-
derenter introducere, & observari faciant in
Sedis Apostolicæ notorium contemptum. Huic
 libello summus Pontifex respondit, ac
 approbante sacrosancta Synodo, prius-
 quam anathema promulgaret, in hujus
 Parlamenti membra in libello designata
 comminationem decrevit, præcipiens, ut
 indictis censuris omnibus Ecclesiasticis,
 semetipsos infra trimestre spacium in Sy-
 nodo sisterent.

Erant autem ex Parlamenti membris
 in hoc decreto nominati Bellomontius
 Præses, Petrus de Brandis, & Toussaint
 de Coriolis Consilarii. Hos summus
 Pontifex, cum ejusdem juribus acrius
 adversarentur, velut ceteris magis sedi-
 tiosos notabat, qui tamen hac agendi
 ratione unice Ecclesiæ Gallicanæ liber-
 tates tueri, ac *annexi* jus defendere co-
 nabantur. *Annexum* vocabant illud jus,
 vi cujus nulla Pontificis Bulla, Breve,
 rescriptum, mandatum Apostolicum pro
 conferendis Beneficiis, Jubilæis, Indul-
 gen-

gentiis, dispensationibus in votis, aut aetate, denique nullae omnino Literae a Romana Curia, aut Avenionensi Legatione expeditae in toto jurisdictionis suae districtu absque Ecclesiae Gallicanae permissu seu approbatione, sive solito *Pareatibus* ad effectum deduci possent. Hoc jus antiquitatis suae epocham ab ipso Francicae Monarchiae exordio repetit, ac pluries a Galliarum Regibus confirmatum fuit, praecipue in Provincia firmiter stabilitum; ibi enim Status anno millesimo quadringentesimo octogesimo primo congregati, necnon supremus Senatus, antequam ibidem Parlamentum institueretur, anno sequenti decreverunt, nullas literas, quae ab externa etiam spirituali jurisdictione emanarent, in hac Provincia in usum pertrahi posse, absque *an-nexo* hujus Curiae superioris, quae tum erat supremum tribunal, indicta poena privationis bonorum temporalium. Hoc statutum fuit Cleri Procuratoribus denunciatum, & a Ludovico XI. Rege, cum adhucdum Provincia illius Regno esset unita, approbatum, atque regis Ludovici XII. & Francisci I. diplomate confirmatum.

Cum vero suprema Curiae Romanae auctoritas praefato jure haud parum labefactaretur, summi Pontifices nil intentatum relinquebant, ut ei usurpatae ju-

Sacral. XVI.
A.C. 1513.

Vide. Mansueti Consil. Parlamen. Aquens. in suo libello, cui titulus: Recueil des titres & pieces touchant l'annexe, dont on a toujours usé en Provence.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

risdictionis labem aspergerent, ac penitus, si possent, supprimerent, hinc etiam Julius Papa hujus juris possessionem Aquensi Senatui adimere moliebatur, occasionem nactus ex Arelatensi Præpositura, ad quam duo æmuli adspirabant, ex quibus unum, qui erat Archiepiscopi Nepos, nominabat Rex, alterum vero nomine Fatium de Santoriis Pontifex, cui erat a cubiculis, vi cujusdam specialis reservationis designabat. Hunc ultimum cum Parlamentum acceptare recusaret, summus Pontifex ejusmodi repulsam adeo moleste ferebat, ut Ludovico de Roche-Chouart, Pro-Legato Avenionensi præciperet, quatenus Bullam Pontificiam Parlamenti judicio submitti præpediret, totoque studio jus *annexi* penitus aboleri adlaboraret. Hæc lis conciliatore Melchiore de Seguirano cum Vice-legato composita est, absque tamen Parlamenti Aquensis præjudicio, quod in possessione juris permansit, addita solum ea clausula, ut *circa Beneficia annexum concederet partibus non vocatis, duntaxat ad capiendam possessionem, & absque præjudicio novæ probationis in possessorio*; Verum Franciscus Estaingius Avenionensis Pro-Legatus Roche-Couartil Successor huic concordie nuper initæ accedere renuebat, illumque ex Romanæ Curie jussu reclamasse conjicimus; unde illius

Recueil &c.
ut supra p.
4. & 5.

illius pertinacia denuo litem suscitabat, Sæcul. XVI. A.C. 1513.
 eo facillori negotio, quod Ludovicus XII. aperto odio Julium Papam insequeretur,
 atque hic, ut vicissim indignationem suam vehementius effunderet, nil inausum relinqueret. Quapropter Rex Provinciæ Parlamento in mandatis dabat, ut omnibus viribus impediret, ne Vice-Legatus sua potestate in Provincia uteretur. Data est hæc Epistola Blesi die vigesima tertia Junii anno supra millesimum quingentesimo decimo.

Cum vero Leo X. Julii II. Successor Gallos in Gratiam recepisset, Avenionensi Legationi Cardinalem Claromontium Cardinalis de Ambasia Nepotem præfecit, deditque literas ad Parlamentum, quibus Legato potestatis suæ *annexum* concedi postulavit. Attamen cum Magistratus contraria a Rege recepissent mandata, nec ea adhucdum essent revocata, respondebant illi, quod Papæ voto haud annuere possent, donec de Regis voluntate certiores fierent. Leo horum repulsa commotus, Mario de Peruschis Concilii Lateranensis Promotori præcepit, ut de Aquensis Parlamenti audacia conquereretur, eoquod mandatorum Apostolicorum executioni obsisteret. Paruit Promotor, exhibuitque prolixum libellum, in quo hi Magistratus atris depinguntur

Sæcul. XVI. guntur coloribus: Igitur requirente Pro-
 A.C. 1513. motore, atque ex sententia ipsius Conci-
lii summus Pontifex decretum, cujus su-
pra meminimus, promulgavit. Cuidam
Mauillac l. Scriptori, qui non ita pridem hoc de ar-
cit. p. 7. & 8. gumento scripsit, in mentem venit, ac si
 huic decreto integer annus anterior fuisset
 adscriptus; eoquod Breve Apostolicum,
 quo Papa Claromontii Cardinalis potestati
annexum concedi petiit, datum
 esset die vigesima quinta Septembris An-
 no millesimo quingentesimo decimo quar-
 to, cum vero Papa literas, quibus cen-
 suras comminabatur, nonnisi post Parla-
 menti repulsam edidisset, annus Christi
 millesimus quingentesimus decimus ter-
 tius, diesque decimus nonus Decembris
 huic decreto appositus convenire haud
 videtur.

Ceterum Papa, cum post Marinianen-
 se prælium relicto Cæsare Gallorum par-
 tibus accederet, cum Solerio hæc pacta
 inibat, vi quorum Parlamentum Sancti-
 tati suæ publice deprecaretur, & a Cen-
 suris absolvi efflagitaret, cunctisque, quæ
 in Papæ decreto, ut vocant, *monitorio*
 continentur, sese submitteret. Vicissim
 Papa spondebat, se quosdam promissu-
 rum articulos, quibus jus *annexi* confir-
 matum esset, atque ex Pontificis con-
 sensu imposterum ut antea Parlamentum
 hoc

hoc jure potiretur. Ergo Solerius Parla-^{Sæcul. XVI.}
menti nomine a censuris solvi rogavit, A.C. 1513.
atque in privato confessu Anno Christi
millesimo quingentesimo decimo quinto
mense Novembri absolutionem recepit.

§. CXXX.

Synodi Decretum de natura Animæ.

Post hæc illis, quibus nullum suffragii ^{Labb. l. c. p.}
jus erat, e loco Concilii abire jussis, ^{187. & seq.}
Episcopi mitris ac Pontificio habitu or- ^{Raynald. l. c.}
nati retro post Cardinales Sedes suas oc- ^{n. 92.}
cupabant: demum vero præsentate sum- ^{Spond. ann.}
mo Pontifice Joannes Gnesnensis Archi- ^{1513. n. 19.}
episcopus Regis Poloniæ Orator conscen- ^{& 20.}
so suggestu clara voce decretum perlegit,
a Papa approbante Synodo conditum
contra quosdam Philosophos, qui asser-
bant, quod anima rationalis sit mortalis,
ac unica detur in cunctis hominibus: id-
ipsum tamen pugnat contra expressa Chri-
sti Domini verba in Evangelio S. Matthæi
cap. 10. v. 28. dicentis: *Animam autem
non possunt occidere, nec non contra ejus-
dem S. Evangelistæ ibid. v. 39. & S. Jo-
annis cap. 12. v. 25. verba, asserentium,
qui odit animam suam in hoc mundo, in vi-
tam æternam custodit eam; hinc jam in
Concilio Viennensi sub Clemente V. defi-
nitum continetur: Animam intellectivam
non solum vere, per se, & essentialiter hu-*

Sæcul. XVI.
A.C. 1513

mani corporis formam existere, sed etiam
immortalem, & pro corporum, quibus in-
funditur, multitudine singulariter multipli-
catam. Omnem ergo, subjungit Pontifex:
Assertionem veritati fidei contrariam, om-
nino falsam esse decernimus, & ut aliter dog-
matizare non liceat, districtius inhibemus,
omnesque hujusmodi erroris assertionibus in-
hærentes, veluti damnatissimas hæreses se-
minantes, per omnia ut detestabiles & abo-
minabiles hæreticos & infideles, Catholicam
fidem labefactantes, vitandos, & puniendos
fore decernimus. Insuper omnibus & singu-
lis Philosophis in Universitatibus & alibi
publice legentibus præcipiendo mandamus,
ut, cum Philosophorum Principia, in qui-
bus a recta fide deviare noscuntur, legerint,
quale hoc est de animæ mortalitate, aut uni-
tate, & mundi æternitate, ac alia hujus-
modi, teneantur eisdem veritatem Religionis
Christianæ manifestam facere, ac omni stu-
dio hujusmodi Philosophorum argumenta pro
viribus excludere, ac resolvere.

§. CXXXI.

Præcepta pro Studiis in Uni-
versitatibus.

Denique ut Pontifex omnem errandi
occasionem præriperet, statuit, ne
quisquam de cetero in sacris Ordinibus con-
stitutus in studiis generalibus, vel alibi pub-
lice

Raynald. ad
ann. 1513.
n. 93.

lice audiendo, Philosophiæ aut Poesis studiis ultra quinquennium post Grammaticam ac Dialecticam sine aliquo studio Theologico, aut juris Pontificii incumbat, ut in his sanctis & utilibus professionibus Sacerdotes Domini inveniant, unde infectas Philosophiæ, ac Poesis radices purgare, ac sanare valeant.

§. CXXXII.

Pomponatii sententia de immortalitate animæ.

Ceterum horum Philosophorum errores, quos Leo X. in sua Constitutione damnabat, ex putido fonte Petri Pomponatii hausti fuere. Is Anno salutis millesimo quadringentesimo sexagesimo secundo die decima sexta Septembris Mantuæ natus, postmodum Pauli Jovii in Philosophia Præceptor, eandem cum magna nominis sui laude Patavii tradidit: Cum vero Veneti in Foederatos Principes bellum moverent, Bonnoniam se recipere coactus, librum de immortalitate animæ in lucem edidit, in quo non modo ex sententia Aristotelis hominum animas post mortem interituras docebat, sed etiam probare conabatur, nullo rationis naturalis argumento demonstrari posse, eam esse immortalem, hancque doctrinam nonnisi sacris paginis ac Ec-

Sæcul. XVI.

A.C. 1513.

Paul. Jov. in elog. doct.

c. 71. p. 164.

Spond. ad ann. 1513. n. 20.

Lucas Gaucericus Schem. tract. 4.

Martin Delrio disquis. magic. l. 1. c. 3.

Theoph. Raynald. de benis & malis libris. n. 43.

Sæcul. XVI.
A.C. 1513.

clesiæ decisionibus inniti. Hoc libro latius divulgato sibi non paucos Adversarios accivit, quos inter Contarinus calammum suum in eum acuebat, ac nonnulli Religiosi hunc librum velut impietate plenum publice dilacerabant: adversus eos ergo se tuebatur Pomponatius, ipsumque Bembum Cardinalem causæ suæ judicem constituebat. Hic in ejus libro, quod offenderet, haud reperiens, eundem sacri Palatii Magistro discutiendum tradidit, qui & ipse nil fidei Christianæ adversum ibidem contineri censuit, ab aliquibus tamen Pomponatius tanquam Atheus habebatur, alii vero ejus defensionem in se suscipiebant. Referunt etiam nonnulli, firmo tamen documento destituti, librum hunc de immortalitate animæ igni traditum fuisse, quod tamen sine ratione dictum videtur, eoquod secunda illius editio Inquisitorum permisso in lucem prodiiisset.

§. CXXXIII.

Bullæ Pontificis in hac Sessione promulgatæ.

Labb. Conc. p. 189. § seq.
Raynal d. h. an. n. 95. Præterea in hac VIII. Sessione plures Pontificis Bullæ fuerunt promulgatæ, quarum prima ad Principes Christianos directa, eos ad pacem & unionem adhortatur, ut sic arma sua adversus Infideles verterent, cum hi graviora indies Chri-

Christianæ Reipublicæ damna inferrent: ^{5æcul. XVI.}
 Præterea statuit, ut hæc Constitutio ad ^{A.C. 1513.}
 omnes Principes transmitteretur. Altera
 Bulla in Bohemorum favorem edita est;
 cum enim eorum hæresis indies altiores
 radices ageret, Papa eos ad Synodum ve-
 nire rogabat: ut vero tuto accedere pos-
 sent, hac Constitutione publicas securita-
 tis literas eisdem concedebat, hujusque
 negotii curam Thomæ Cardinali, Strigo-
 niensi Archiepiscopo & Apostolico hujus
 regni Legato demandabat. Denique Joan-
 nes Franciscus Taurinensis Episcopus ter-
 tiam recitavit Bullam de reformandis Cu-
 riæ Romanæ officialibus, contra quos
 Cardinales ad Papam graves deferebant
 querelas, eoquod pro expediendis concessi
 beneficii literis, aliisque causis nimia ex-
 pensarum onera imponerent: ut ergo ejus-
 modi abusus tollerentur, Papa hac Con-
 stitutione in transgressores anathema di-
 xit, declarans: *Eos a nullo, nisi per Roma-* Labb. cit.
num Pontificem, excepto mortis articulo, ab- P. 191.
solvi posse, ita ut etiam ab officio, in quo deli-
querint, prima vice ad semestre tempus sint eo
ipso suspensi, si autem secundo erraverint,
eodem officio, perpetuo careant.

Denique statutum, ut omnes hæ Con-
 stitutiones in acie Campi Floræ affigeren-
 tur, quo facta Sessio nona ad annum Do-
 mini millesimum quingentesimum deci-
 mum quartum, ac nonam Aprilis diem
 indi-

Sæoul XVI indicta est, quæ tamen urgentibus quibusdam rationibus ad duodecimam Aprilis, demum ad quintam Maji prorogata fuit, qua etiam die celebranda firmiter decernebatur.

§. CXXXIV.

Roberti de Guibe Cardinalis obitus.

Hoc anno Cardinalis Robertus de Guibe Romæ mortalitatem exiit, nunquam ultra in Ludovici Galliarum Regis gratiam reversus. Is erat Materna ex linea Nepos Petri Landassii, qui Britanniae Duci in paucis carus, Nannete laqueo vitam finivit. Robertus Trecorensis, Nannetensis, ac Rhedonensis Ecclesiae Antistes erat, & defuncto Francisco II. Britanniae Duce, Annam Reginam Caroli VIII. conjugem comitabatur, atque a Ludovico XII. demum Romam legatus decernebatur, ut Gallorum res procuraret; verum cum Julius II. eum ad suas partes pertraheret, illumque Anno Domini millesimo quingentesimo sexto Purpuratorum collegio adscriberet, Ludovicus eundem omnibus Beneficiorum, quæ in Gallis possidebat, redditibus spoliavit.

INDEX